PEREGRINATIO QVAM VOCANT ROMANA:

SIVE,

VISITATIO VII. CAPITALIVM ECCLESIARVM COLOniensium, ex Vrbe mutuata.


COLLECTORE,

F. ERHARDO VVINHEIM Carthusiano Albimœnio.

Permissu Superiorum.




COLONIAE,
Sumptibus Bernardi Gualtheri.
ANNO M. DC. VII.
Cum priuileg. Senat. Colonienſ. ad Sexennium.



ADMODVM

REVERENDO RELIGIOSISSIMOQVE IN CHRISTO PATRI AC DOMINO, D. MARTINO ABBATI,

peruetusti Monasterij Ord: S. Benedicti Neustadt vigilantiss: Domino ac Patrono suo summè venerando.



VM erga AMPLISS: D. V. REVER. IN CHRISTO PATER, PRAELATE CONSVMMATISSIME, sincera mea obseruantia exigat, ac postulet ratio, tot tãtisq; acceptis abs te beneficijs, nõnihil subinde referre gratiarũ; præsens Argumentũ commonet, vt omnium pertrãseuntium Peregrinorũ, Hospitalitatis amantissimo EXCEPTORI TIBI, hanc Peregrinationem meam (cuius apud te nuper transeunti mihi pariter adminiculum fuisti) consultò dicem dedicemque. Equidem quippè hactenus expectaui sẽper, vt exoptato gratioso huic tuo in im-

meritũ, me cumulato fauori in via gratitudinis occurrere aliquando daretur mihi. Cuius hic etsi aliqualem Encomiasten agere possem, quantum sc. gaudij, ad solã nominis mei submissam mentionem perceperis, quam clementer iam altera vice sub tectum me meosque susceperis, quam humaniter tractaueris, sumptuosè detinueris, ac muneribus oneratos, iumentis Bucephalis tuis adhuc accommodatis, benignissimè dimiseris, &c. Quia tamen, vt in prouerbio est, sub purpura intus palles, maiorque & longè illustrior hæc vnica virtus sit puto ingenita tibi Hospitalitas, quam, vt ab imperiti hominis inculta ac rudi oratione celebrari possit; manũ de tabula quod aiunt tollo. Saltem prædicent alij in alijs has illasve innumeras virtutes, ego pro alijs profundissimam humilitatem tuam cum humanitate coniunctam, qua vel maximè polles, suspicio vnicè & admirans exosculor: Si enim ex abundantia cordis os loquitur, nunquid vltimæ, ad indignissimum me exaratæ, meram humanitatem ex mera humilitate consutam spirabant? Siquidem vndenam nescio, Peregrinationem hãc olim domi tuæ, sub Insigniorum ac Clarissimi nominis tui auspicio nasciturам inaudieras, ideoque vt id fieret quam modestissimè à

me

me petieras: Tali in Prælato, quid iucundius reperiri vel optari posset? Hinc summus rerum Opifex, Deus Ter Opt. Max. quam abundè tibi, & domui Neustadiensi (cuius clauum mox Iubilæus futurus tam dextrè tenes) in spiritualibus, & temporalibus benedicat, nemo credo est, qui non videat. Quapropter S. Augustinus rectè philosophatus est, dum inquit: *Hospitalitatis officio ad Christi cognitionem venimus.* An non Deum Abraham & Angelos Loth in susceptione hospitum cognouerunt? An non humanitatem hanc in eis exercentes, humiles se probauerunt? Vel quid humilius, vt ianua potentis pateat peregrino? Cùm ergò tanta nominis tui celebritas & virtutis integritas, hodie sit peruulgata apud omnes, Tuo exẽplo cæteri discunt, quam sit nihil, quod ita Deo gratum faciat atque hominibus propter Humanitatem; quæ quo vitæ meritò maior est, eo inferior humilitate efficitur, quod probè sciens Apostolus, monet: *Hospitalitatem nolite obliuisci, per hãc enim placuerunt quidam Angelis hospitio receptis.* Et Christus ipse: *Venite Benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum, à constitutione mũdi. Esuriui enim & dedistis mihi manducare; Sitiui & dedistis mihi bibere; Hospes erã, & collegistis me, &c.*

Quæst. 2. Euangel.

Heb. 13. e

Matth. 25 e.

Possem sanè citra assentationis odibilē notam, quam pariter ad vtrumq; paratus, laborios⁹ &c. ac simul in omni actione tua discretus sis, &c. quas in te animaduerti comendationibus, adhuc multum immorari, nisi molestè laturum te vererer, quem nil minus quam hominum laudes appetere scio. Quocirca has missas faciens, vt Deum potius in te, ceu peregrinorum Hospite, laudibus extollam, ad nominis eius gloriam, tuique immortalitatem, præsentem Peregrinationem, testandi grati atque submissi animi causa, in lucem emitto, nil hæsitans, opellam hanc meam omnibus bonis probatum iri, si sit tuo probata iudicio: Tametsi enim obtrectatores, (quorum hoc seculum feracissimum est) ad carpendum sint promptuli, nati criminatores, [quod hominū genus, vitare velle nil aliud est, quam ad impossibile niti] nullius tamen pensi habebo, si tuo patrocinio, Peregrinatio hæc, stet aut cadat. Illi verò, tum demum non temeritate, sed æquitate id fecisse putabuntur, vbi nobis quid præclariùs exhibuerint. Neq; contra dico, quin AMPLITVDINEM TVAM maiora deceant; ast cum deliciæ tuæ sint, semper inter minima versari, ac in Peregrinorū susceptione delecteris continuò, alium præter TE Patronū,

Pere-

Peregrinatio hæc sciuit neminem, nedũ, qui non quantum, sed ex quãto quid procedat, attendere soleas. Magna tamen & alta si petis, en tibi Nobilissimas quindecim Romanas Familias, quæ hanc ex vrbe intra Agrippinam deriuatam, plantarunt Peregrinationem, & per quas nobilitata est Colonia, atque locupletata, vt: Oberstoltz/ Scherffgin/ Quatermarck/ von Aboch/ von Reidenberg/ Judæi/ Hartenfaust/ Lißkirchen/ von Ghyre/ von Grine/ Birckelin/ von Hirtzelin/ von Effrem/ & Kleingedanck/ omnes quietis publicæ Fũdatores, Christianæ Fidei Propugnatores, atq; religionis illibatæ Propagatores, pręcipuè verò S. Romanæ Ecclesiæ prõptissimi Defensores, qui & hũc ipsum summæ gloriæ titulum posteris suis reliquere testatum. Qui inquam sua effusa munificentia (quam Orbis obstupescit) Agrippinæ ditarunt Ecclesias, Summum lucrum ęstimantes, quauis impensa, Ecclesiasticæ libertati sapienter prospicere. Quod ingentis fidei opus DEVS respiciens, adeò recompensatis beneficijs gratum habuit, vt omnibus & singulis multiplicata fœnora innotuerint: Nec verò minus idem DEVS, humilia erga Romanã sedẽ obsequia eorũ remunerauit, sed quo plus sese ijdẽ submiserunt, eo sublimiori fastigio,

eorum gubernamentum extulit átq; firmauit, adeò vt deficientibus integris externarum Gentium Regnis, solũ Agrippinense SOLVM, fecerit esse perpetuum, eo quod non solo ferro, sed & spiritualibus vsi sint, & etiamnum vtantur armis, quibus maximè hoc vlcerosissimo seculo, Coloniensis Ecclesia opus habet: Nam etsi diuersas, diuersis temporibus senserint Hæreticos, nullos tamen sensit, sentitque impijs Nouatoribus procatiores; Qui cũ vniuersam Ecclesiam canino dente proscindant, nec Agrippinensi fœdis maculis calumniosè deturpando, parcunt. Sed illa ab Antecessoribus non degener, duplicis generis hostes nil timens, vinci se religione non sinit, superari virtute non patitur; Verùm de eorũ victoria, cumulatos gloriæ titulos, & augustiores sibi parat triũphos, siquidem ex altera parte dolosa arte, altera verò gladio hæretici in eam irrepunt incassum, cultu ambo similes, impietate pares, specie recti cuncta fallentes, fœdantes atque pessundantes Romanæ Ecclesiæ perduelles. Sic sic fęlix Agrippina, nobilis Romanorum Colonia, Insulis Imperatorijs redimita, laureis Augustalibus coronata, compta procedens sua gloriosa exhibet spectanda cunabula veritatis conscia, ita vt reliquis Germanis dice-

re meritò queat,attendite ad Petram,vnde excisi estis. Hanc ergo, cum inter tantas vndique effusas hęresum tenebras,claro fidei Catholicæ nitore,in fide tuenda, illustranda ac propaganda fulgeat:quis nō adamaret,veneraretur, ac summis extolleret præconijs? Ad quam cum primum oculos conijcerem,illius amore captus,ad excolendam eam, Magnorum virorum hortatu,qui in ratione dati & accepti nō paruam opem tulerunt, magno animo accessi. Quæ etsi magna sint,minima tamen respectu aliarum eius virtutum apparent; cum exinde,quid seniores mirētur, quid imitentur iuniores, copiosè inueniri detur,ceu omnis boni promptuario aliquo, non recenter ęfformato, sed longo probato vsu,natura rerum Magistra accedęte. Hæc, hæc sunt à pueritia statuendæ columnæ fundamenta intra Agrippinam iacta; Illa verò moles magna desuper erecta,quod vltra omnes alias Ciuitates sublimata honore, supra cunctas resplēdeat. Delectare ergo REVEREND. PATER, & tu quoque vt assoles cum VbioRomanis,ac eorum sequacibus in semitis mandatorum DEI peregrinare,quatenus qui suscepis peregrinantem, talem mercedē habeas, qualem habet,qui propter Deum peregrinatur; Cuius laudabilis ac plane

meritorij Exercitij, si causam motiuã, cur institutum, desideras; Peregrinationem hanc, quam vocant Romanam, siue 7. Capitaliũ Ecclesiarum Coloniensiũ visitationem, iam dudum ex vrbe, tempore videlicet Constantini Magni (quo ad Christum conuerso Christiani propter Tyrãnorũ persecutionis metum in speluncis latitãtes prodierunt, & 7. vrbis Romæ Capitales Ecclesias, puta S. Petri in Vaticano, S. Pauli in via Ostiẽsi, S. Sebastiani in via Appia, S. Laurẽtij extra portã Esquilinã, S. Crucis in Hierusalẽ montis Cælij, S. Ioannis Baptistæ in Laterano, S. Mariæ Maioris in Colle Esquilino visitantes, ob redditam terræ pacẽ, gratias egerunt) Coloniam per Christi fideles antedictos Patricios VbioRomanos, eorundẽq; sequaces Agrippinenses, deriuatam, introductam, atque vsque adhæc nostra tempora, summa cũ deuotione populi, receptam & obseruatam esse scias: Volentes per eam septenario Ecclesiarum numero significare, quod in hac lachrymarum valle, à die Natiuitatis nostræ, Exules per 7. ætates hominũ, (siquidem manentem nõ habemus hic Ciuitatem, sed futurã inquirimus) continuò nobis sit peregrinandum. In quo saluberrimo instituto, Maiores nostri, totam mentis intẽtionem in Christum

Marcus Attilius Seranus, de 7. vrbis Ecclesijs.

stum

stũ direxerunt, vt quomodo sc. ipse è regalibus sedibus, à patre exiens de cœlo in Virginis vterum descendisset, & pro nobis homo factus 33. annis, in multis laboribus, ærumnis, ignominijs ac acerbissima passione, peregrinatum super terram circuiens, antiquæ legi, fine imposito, turpissima tandem morte sublatus, cœlum repedans, mediator DEI & hominum, ad dexteram Dei nunc sedens, pro nobis gemitibus inenarrabilibus ad Patrẽ postulet, ipsi nos quoq;, tali præeũte Duce, tot SS. vrbis Patronorũ, heroicis animati exemplis, pro posse eorundem vestigijs, Dei opitulante gratia, nõ tam insistamus, quã pro collatis donis, gratias referẽtes, etiam cuncta mala in futurum, talibus pietatis exercitijs, placato diuino Numine, propulsare valeamus. Ita esse, tot passim in vrbe, à Coloniensibus, præsertim in locis, ad quæ Peregrinatio cadit, erectæ Christi & Sanctorum Statuæ, mẽtis vana obiecta auertẽtes, testantur. Qua de re, si antiquissimã, & veteris & noui Instrumẽti mutuationem per traduces Orthodoxos Patres desideras, S. Augustinum, Hieronymum, Eusebiũ, Iosephũ, & alios in prõptu statim præsto esse noueris: Qui qualiter laudabilis hic sancta loca visitãdi mos, in Ecclesia DEI semper obtinuerit; ex capite 25. Geneso-

neseos,23.Exodi,13.Numeri,2.Reg.15.& Lucæ 2.luculenter commonstrant.

Habes itaque AMPLISSIME PRAELATE Peregrinationis huius, Initiatores, Tempus, & Causam finalem. Nunc verò, vt practicè inchoanda, prosequenda, & terminanda sit, pariter accipe, suppliciter deprecãs, vt quod deditissimo animo offertur, in clientelam recipias, meque indignissimum consueto fauore prosequi ne dedigneris. Deus omnium conseruator Opt. Amplifs. Dominationi Tuæ, post diutissimè, piè, beateque exactam vitam conferat sempiternam: Herbipoli è Carthusia Horti Angelorum 10. Februarij, M.DC.VII.

Reuerend. Amplitud. Tua

ex animo addictus seruulus

F. Erhardus VVinheim
ibidem professus.

AD

AD BENIGNVM LECTOREM.

PIO *Lectori obseruandum erit, Peregrinationem hanc, præter 7. Capitalia, omnia reliqua Templa, quæ peregrinanti in via obuiant, nulla alia habita differentia includere, nisi quod ipsa visitatio à solis 7. Capitalibus appellationem suam sortiatur, & peregrinanti per memorata extraordinaria templa præbeatur ducatus, eidemq́; , si occupationes aliæ non semper admittant, sufficientibus illis 7. cæteras præterire sit licitum. Et quamuis toto anno indifferenter; maximè tamen singulis ferijs 2. sæpè dicta Peregrinatio, à pientissimis Coloniensibus admodum deuotè frequentatur; Cuius exercitium cùm sit potissimum Oratio, vocalis & mentalis; vtramq́; in praxin redigentes, doctioribus meditationem vitæ Christi, super terrā Peregrini cum nonnullis de Sanctis, etiam appropriatis annexis oratiunculis, rudioribus verò & illiteratis 7. Psalmos pœnitentiales (additis singulis, pro 7. donis Spiritus S. consequendis, auertendisq́; 7. peccatis capitalibus, precatiunculis) cum totidē Rosarijs, suppeditantes, initium à re & nomine Summo Templo faciemus, ibidemq́; Peregrinationis finem, DEO propitio terminaturi.*



IN PRIMA CAPITALI ECCLESIA, QVAE ET SVMMA, *Metropolitana, ac Cathedralis,*

MEDITARE:

I. Peregrinantis Christi Domini, Verbi scilicet DEI ab æterno geniti, per quod omnia facta sunt, inexhaustam bonitatem, qua lux hominum, via, veritas & vita, in mundum venit, carnem assumpsit, nobiscum conuersatus est. Ioan. 1. capit. *Pater noster. Aue Maria.*

II. Modum & medium, quibus Gabriel Archangelus, à DEO ad desponsatam Ioseplio V. Mariæ in Nazareth Galilææ missus, Saluatorē IESVM prædixit nasciturum, videlicet, illæsa Virginitate eam S. Spiritu obumbraturo, exemplo de Præcursoris S. Ioannis admiranda conceptione, adducto. Luc. 1. cap. *Pater Noster. Aue Maria.*

III. Excellentissimam fidem, puritatem, humilitatem & cæteras virtutes D. V. Mariæ, quibus digna DEI Mater habita tali nuncio lętata, exurgens in mōtana, ad Elisabetham cognatam festinans processit, ac gestantis vterum sua præsentia exultare fecit, ipsamet præ gaudio, celebri cantico Deum magnificans, tribusque mensibus ibidē perseuerans, tandem domum reuersa. Luc 1. cap. *Pater noster. Aue Maria.*

Oratio ad S. Trinitatem.

O Adoranda Trinitas, ô Venerāda Vnitas, Omnipotēs æternæ Deus, qui cū vnigenito Filio tuo & Spiritu S. vnus es Deus, vnus es Dominus: Non in vnius singularitate personæ, sed in vnius Trinitate

tate substantiæ. Quod enim de tua gloria, reuelãte te credim⁹, hoc de Filio tuo, hoc de Spiritu S. sine differentia discretionis sentimus: vt in confessione veræ sempiternæque Deitatis, & in personis proprietas, & in essentia vnitas, & in Maiestate adoretur æqualitas; Quam laudant Angeli atque Archangeli, Cherubin quoque ac Seraphin, quibus cum non cessamus clamare quotidie vna voce dicentes; Sanctus Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth, Pleni sunt cæli & terra gloria tua, O sanna in excelsis. Benedictus qui venit in nomine Domini, O sanna in excelsis; Per te enim sum⁹ creati, vera æternitas, per te sumus redempti, summa tu charitas: Populũ tuum Sancte Spiritus tu protege, salua, libera, eripe, emũda, qui cum Patre & Filio in Trinitate perfecta viuis & regnas Deus per omnia secula seculorum, Amen.

ORATIO ANTE IMAGINEM B. V. Mariæ quę Mediolano cum 3. Regibus Coloniam translata, in Sacello eidem facto, ad latus Chori dextrum collocata visitur.

Mater digna DEI, venia via luxq́, diei,
Sis tutela rei, Duxqúe Comesqúe mei.
Sponsa DEI, miserere mei, lux alma Dei,
Digna Deo, Regina poli, me linquere noli,
Nixa Deum, defende reum, mihi dando trophæa
Me tibi Virgo pia, Genitrix commendo Maria.

ORA-

Oratio ante 3. Reges.

REx Caſpar, Rex Melchior, Rex Balthaſar, rogo vos per ſingula nomina SS. Trinitatis, rogo vos per Regem regum, quem vagiẽtem in cunis videre meruiſtis, vt compatiamini neceſſitatibus noſtris, nunc & in hora mortis. Intercedite pro nobis miſeris peccatoribus ad Dominum, cuius deſiderio exules facti eſtis: Et ſicut vos per angelicam admonitionẽ in reditu ab Herode eripuit, ita & nos veſtro interuentu liberare dignetur ab omnibus corporis & animæ malis, præſentibus, præteritis & futuris, per illud lumen ſplendidum, quod cordibus veſtris illuxit, Dominum noſtrum Ieſum Chriſtũ, Amen.

Precatio in 1. Pſalm pænitentialem, pro dono Timoris DEI.

SPiritum nobis Domine timoris tui immitte: quo anima noſtra venturæ furoris tui iræ recordatione conturbata, in ſinceram peccatorum deteſtationem excitetur, veram cordis compunctionem exſurgat, ac in fontem lachrymarum reſoluatur; ne in infernum, vbi nulla nominis tui confeſſio eſt, inimicis illudenda proijciatur: ſed magis miſericordiæ tuæ inter-

interuentu, à cunctis infirmitatibus & malis sanetur & eripiatur.

6. Psalmus, 1. Pœnitentialis.

DOmine ne in furore tuo arguas me: neque in ira tua corripias me.

Miserere mei Domine, quoniam infirmus sum: sana me Domine, quoniam conturbata sunt ossa mea.

Et anima mea turbata est valde: sed tu Domine vsquequo?

Conuertere Domine, & eripe animam meam: saluum me fac propter misericordiam tuam.

Quoniam non est in morte qui memor sit tui: in inferno autem quis confitebitur tibi?

Laboraui in gemitu meo, lauabo per singulas noctes lectum meum: lacrymis meis stratum meum rigabo.

Turbatus est à furore oculus meus: inueteraui inter omnes inimicos meos.

Discedite à me omnes qui operamini iniquitatem: quoniam exaudiuit Dominus vocem fletus mei.

Exaudiuit Dominus deprecationem meam: Dominus orationem meam suscepit.

Erubescant, & conturbentur vehementer omnes inimici mei: conuertan-

tur, & erubeſcant valde velociter. Gloria Patri.

Precatio contra ſuperbiam.

OMnipotens & iuſtiſſime Deus, qui angeli ſuperbiam terribili deiectione puniſti, & ancillæ tuæ humilitatem reſpiciens, Virginem humilem in matrem elegiſti: tolle à nobis omnem ſuperbiæ ſenſum, & ingratitudinis labem, omnemq; mentis & iactantiæ tumorem à cordibus noſtris longe repelle; vt humili corde & voce tibi ſoli laudem & gloriam dicamus, & gratiarum actione deuotè laudemus. Et ſi quid boni habere videamur, vel etiam habemus; nihil à noſtro, ſed à te perenni omnium bonorum fonte deſcẽdere veraciter cognoſcamus: non nobis, ſed nomini tuo in omnibus gloriam dantes.

In exitu ſummi Templi procedẽdo verſus Capitolium, alteram Eccleſiam Capitalem obuiam habet peregrinans 3. Templa, quorum intermedia via 1. Roſar. recitari poterit.

IN PRIMO, QVOD OBVIAT S. Laurentij Templo, Meditare.

I. Chriſti D. generationem, ſexto menſe ſectam, nobile ex Abrahamo per Dauidem habẽtem exordium, Ioſepho, priuſquã Virgo pareret (quod non

non cognitam à se aduerteret grauidam) de eius dimissione fluctuante, sed Angeli monitu, confirmato, & edocto, illam è Spiritu S. concepisse. Matth. 1. cap. *Pater noster. Aue Maria.*

II. Vti occasione Cæsarei edicti, cum illa è Nazareth in Ciuitatem Dauid Bethlehem ascendēs, tum ibidem Virgo filium pepererit; Quem pannis inuolutum ac in præsepio reclinatum, pastores primi, Angelo nunciante inuiserunt, ac post hos 3. Magi ex Oriente, noua orta stella ducatumque præbente, venientes, circumcisum iam puerum oblatis muneribus adorauerunt. Matth. 2. Luc. 2. cap. *Pater noster Aue Maria.*

III. Qualiter secundum legem, tanquam primogenitus, ipso Purificationis die, in Templo oblatus à puerpera puer, primum à Simeone Iusto Sene, post longam expectationem, deinde & ab Anna vidua agnitus & prædicatus sit. Luc. 2. cap. *Pater noster. Aue Maria.*

Oratio ad Deum.

OMnipotens æterne Deus Pater cœlestis, qui coæternum tibi & consubstantialem filium ineffabiliter genuisti, & cum eodem ac S. Spiritu, ex te filióque tuo procedente, cœlum, terram, mare, & omnia quæ in eis sunt, mirabiliter condidisti: te adoramus, benedicimus & gratias agimus tibi ex toto corde pro omnibus beneficijs tuis, paterna illa tua dilectione nobis exhibitis, præcipuè tamen, quod vnicum & vnicè tibi dilectum filiū tuum Dominum nostrum Iesum Chri-

ſtum, in hunc mundum Saluatorem miſe-
ris. Precamur ergo te clemẽtiſſime Pater,
per eundem filium tuum, propitius eſto
nobis peccatoribus, & propter nomen S.
tuum, libera, adiuua, & ſalua nos; Qui
cum eodem & S. Spiritu viuis & regnas
in ſecula Benedictus Deus. Amen.

Oratio ad S. Laurentium.

FOrtiſſimè Chriſti Athleta Laurenti
Tu diuini ſpiritus feruore inflam-
matus, fidus Eccleſię miniſter, qui, ne va-
ſa Domino conſecrata, iniquè pauperum
vrgentes neceſſitates, in Eccleſiæ ſcrinijs
recondita, in impias ac prophanas auari
Tyranni manus traderes, ac ſacrilegæ tra-
ditionis crimen incurreres, vitam expo-
nere maluiſti; cuius prolongandæ tridui
inducias, quo Eccleſiæ facultates paupe-
ribus, vt illorum manibus tuto in cœlis
reponerentur, diſtribueres, petiuiſti: Et
ne quid minus his tuis laudibus dicam,
talis etiam martyrij ſubeundi ardor in-
uaſerat, vt crati ſuperpoſitus, in ſummis
licet tormentis, victo perſecutori quaſi
inſultaueris: quo vel vnico indicio ab-
undè cognoſcimus, tantum diuini amo-
ris intus in corde tuo efferbuiſſe incen-
dium, vt edaces incendij flammas, corpus
foris in odoriferum holocauſtum cre-
mantes

mantes longiſſimè in feruore excederet. Qua ô ſtrenuiſſime Martyr Laurēti, ſupplici te voto precamur, vt hanc nobis ab Omnipotente gratiam impetres, qua lubentes, quod ſupereſt nobis, in pauperū ſubleuamina conferamus, quatenus & concupiſcentiæ æſtus frænemus, & vitiorum flammas extinguamus, vt à perpetuis gehennæ incendijs liberemur, per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

IN SECVNDO QVOD OBVIAT S. Albani Templo, meditare.

I. Ioſephum angeli impulſu cū puero & matre in Aegyptum fugientem, eundemque Herodianis inſidijs ſubtrahentem, ac mortuo Herode in terram & ciuitatem ſuam Nazareth regreſſum, vbi duodennis puer, parentibus pro conſuetudine Hieroſolymam petentibus iunctus, ibidem per triduum amiſſus, in templo tandem inter Doctores repertus, Nazareth cum parentibus, ſubditus illis ſit reuerſus, Matth. 2. Luc. 2. *Pater noſter. Aue Maria.*

II. Triceſimum iam annum agentem Chriſtū, mox inter alios & ipſum baptiſmi gratia B. Ioannem adeuntem, ab eodemque licet aliquandiu reluctante, ſuſceptum, voce paterna ac Spiritus ſancti in columbæ ſpecie deſcenſu declaratum Dei filium, per quem deinceps genus humanum ſaluaretur. Matth. 3. Mar. 1. Luc. 3. *Pater noſter. Aue Maria.*

III. Mox in deſertum ſecedentem Dominum, vbi poſt quadrageſimale ieiunium ſanè omni cibo peractum, tandem eſuriens, variè à diabolo

 tenta-

tentatus, superato tentatore, S. Angelorum ministerium expertus est. Matt. 4. Mar. 1. Luc. 4. *Pater noster. Aue Maria.*

Oratio ad Deum.

DOmine Iesu Christe, Frater & Legifer noster, qui à pueritia parentibus subditus, non tantum ætate, sed & gratia apud Deum & homines proficiēns, plenitudinis tempore, ad expiandas animarum nostrarum sordes, in Iordanis flumine à seruo Ioāne baptizari, & à maligno spiritu in desertum duci te paulo pòst permisisti, ac tentari; fac vt fidem in baptismo datam, peccatis nunc violatam, virtute secundi Baptismi pœnitentiæ, recuperata veteri gratia consequi mereamur, quatenus tuo exemplo ab omnibus vitijs ieiunantes, iustitiamque esurientes ac sitientes, omnes tentatores nostros, nempe mundum, carnem, & dæmonem expugnare valeamus. Per te Dominum ac Redemptorem nostrum, qui cum Deo patre & Spiritu sancto, viuis & regnas Deus, in omnia secula seculorum. Amen.

Oratio ad S. Albanum.

TV nos ab alto, Albane Martyr inclyte propitius respice, ac nostram vitam tuo precatu dirige, sicque sanctum ouile

ouile hoc pasce, vt luporum incursionibus procul pulsis, cœlestibus bonis pariter tandem perfrui mereamur, per Christum Dominum nostrum. Amen.

IN TERTIA QVAE OBVIAT S. Martini minoris Ecclesia, Meditare.

I. B. Ioannis Baptistæ de Christo testimonium, quo rogantibus ad se missis sacerdotibus, se nequaquam Messiam esse, sed alium se digniorem, quem postero die digito demonstratum Agnum Dei denunciauit, venisse respondit. Ioan. 1. *Pater noster. Aue Maria.*

II. Occasionem hanc, qua quinque primi discipuli Christum agnoscere & sequi inceperunt, Andrea, fratri Simoni Petro; Philippo vero, Nathanaeli eum insinuantibus, quibus videntibus, tertia dehinc die per Matris sollicitudinem, aqua in nuptijs Canæ Galilææ in vinum commutauit. Ioan. 2. *Pater noster. Aue Maria.*

III. Post hæc primum signum, seipsum magis manifestantem Dominum, quando è Capharnaum (vbi aliquot diebus manserat) ad diem festum Paschæ Hierosolymam ascendens, vendentes & ementes, flagellis è templo eiecit, & mysticum Templum se à Iudæis soluendum, ac à se post triduum restaurandum, denunciauit, multis ibidem patratis miraculis, plerisque in se credentibus, de quorum numero Nicodemus, nocturno colloquio de regeneratione ac crucis mysterio instructus est. Ioan 2. & 3. cap. *Pater noster. Aue Maria.*

Oratio ad Deum.

DEus celſitudo humilium, qui per vnigenitum tuum ita erudire mũdum dignatus es, vt omnis illius actio noſtra eſſet inſtructio, excita in nobis ſpiritus tui feruorem, vt quod ille verbo & exemplo docuit, nos efficaciter imitari valeamus. Amen.

Oratio ad S. Martinum.

O Beate Pontifex Martine, qui Chriſtum chlamyde, tectum, quâ pauperem, nudum eius membrum contexeras, admirabiliter in terra poſitus, eundẽ totis viſceribus videre meruiſti, ac virtutum meritis plenus, inter cætera miraculorum prodigia, & curationum gratia tres mortuos ob inſignem S.S. Trinitatis confeſſionem, vice fretus Domini ad vitam reuocaſti; præſta quæſumus, vt qui in terris multa mira oſtendiſti, & nunc de cœlo Chriſti gratiam tuo ſupplicatu nobis infundas, quatenus relictis vitijs, à morte animæ reſuſcitati, in virtutũ actibus ac miſericordiæ operibus viuamus, per Chriſtum Dominum noſtrum. Amẽ.

IN II. CAPITALI ECCLESIA Capitolina, Meditare.

I. Chriſtum Dominum amodo cum ſuis diſcipulis,

pulis, in Iudæa commorari incipientem, ac per eosdem baptizantem, sub quod tempus præcursor B. Ioannes ab Herode Tetrarcha ob reprahẽsum adulterium in carcerem coniectus est, suo quasi defunctus iam officio, Christo legationem suam auspicante. Ioan. 3. Matth. 14. Mar. 16. Luc. 3. *Pater noster. Aue Maria.*

II. Christum Dominum huius captiuitatem, ac simul pharisæorum contra se, ob populi ad Baptismum confluxum, inuidiam intelligentem, ideoque relicta Iudęa Galilęam repetentem; In quo itinere Samariam pertransiens, mulieri cuidam Samaritanæ, post longam collocutionem, ac per eam multis Samaritanis innotuit. Matt. 4. Marc. 1. Luc. 4. Ioan. 4. *Pater noster. Aue Maria.*

III. Vti in Cana iam constitutus Dominus, Reguli filium febricitantem in Capharnaum, serio requisitus absens verbo sanarit, & Galilæam ingressus, relicta Ciuitate Nazareth, eo quod nemo propheta in patria acceptus sit, Capharnaum pro mansione sibi elegerit, in qua palam aduentum Regni Dei annunciauit; quam prædicationem cum morborum curationibus illustraret, per totam Syriam celebre factum est nomen eius. Ioan. 4. Matth. 4. Marc. 1. Luc. 4. *Pater noster. Aue Maria.*

Oratio ad Deum.

Bonorum omnium ditissime D. Iesu Christe, da mihi fatigato, in huius vitæ itinere, cibum & potum Largitor opulentissime, vitæ fons & omnium gratiarum vberrime, cor meum ab vbertate voluntatis tuæ inebria, quatenus omnia obliuiscatur transitoria, solumque amet

& desideret æterna, quæ ita possunt illud exsaturare, vt nullam deinceps sitim possit reformidare. Qui cum Patre & Spiritu S. viuis & regnas Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

Oratio ad B. Virginem loci Patronam.

SAncta Maria, succurre miseris, iuua pusillanimes, refoue flebiles, ora pro populo, interueni pro Clero, intercede pro deuoto fœmineo sexu, sentiant omnes tuum iuuamen, quicunque celebrant tuam Sanctam commemorationem. ℣. Dignare me laudare te Virgo sacrata. ℟. Da mihi virtutes contra hostes tuos. *Oremus*. Protege Domine nos famulos tuos pacis subsidijs, vt gloriosæ semper Virginis patrocinijs confidentes, à cunctis hostibus & periculis eripi mereamur. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Precatio in 2. psalmum pœnitentialem pro dono Pietatis.

SPiritum nobis Domine pietatis largire; quo anima nostra pijssimæ tuæ indulgentiæ affectu in spem misericordiæ ac veniæ erecta, veram peccatorum remissionem per sinceram confessionē, & piam

&piam precationem, consequi ac obtinere valeat.

Psalmus 31. Pœnitentialis 2.

BEati quorum remissæ sunt iniquitates: & quorum tecta sunt peccata.

Beatus vir cui nõ imputauit Dominus peccatum: nec est in spiritu eius dolus.

Quoniam tacui, inueterauerunt ossa mea: dum clamarem tota die.

Quoniam die ac nocte grauata est super me manus tua: conuersus sum in ærũna mea, dum configitur spina.

Delictum meum cognitum tibi feci: & iniustitiam meam non abscondi.

Dixi, confitebor aduersum me iniustitiam meam Domino: & tu remisisti impietatem peccati mei.

Pro hac orabit ad te omnis sanctus: in tempore opportuno.

Veruntamen in diluuio aquarũ multarum: ad eum non approximabunt.

Tu es refugium meum à tribulatione, quæ circumdedit me: exultatio mea, erue me à circundantibus me.

Intellectum tibi dabo, & instruam te in via hac, qua gredieris: firmabo super te oculos meos.

Nolite fieri sicut equus & mulus: quibus non est intellectus.

In cha-

In chamo & freno maxillas eorum cõ-ſtringe: qui non approximant ad te.

Multa flagella peccatoris: ſperantem autem in Domino miſericordia circundabit.

Lætamini in Domino, & exultate iuſti: & gloriamini omnes recti corde. Gloria Patri.

Precatio contra Auaritiam.

OMnis dati optimi, & omnis doni perfecti liberaliſſime largitor, miſericors Deus: qui eleemoſynarũ largitiones vtriuſque teſtamenti pagina commendaſti: inclina cor noſtrum in teſtimonia tua & non in auaritiam: & da nobis temporalia pro nomine tuo liberaliſſime tribuere: & cupiditatem, quæ radix omnium malorum eſt, à cordibus noſtris radicitus euellere; aliena non appetere, propria pro te non ex triſtitia, ſed læta mente diſtribuere, & larga manu largiri: vt tanquam hilares datores à te diligi mereamur: & cum defecerimus in tabernacula tua recipi, atque vt miſericordes, miſericordiam à te conſequi valeamus.

(∴)

In exi-

In exitu Templi Capitolini procedendo versus S. Seuerinum tertiam Capitalem Ecclesiam, obuiant peregrinanti 7 pro libito in transitu adeunda Templa, quorum intermedia via Rosarium recitari poterit.

IN PRIMO QVOD OBVIAT S. STEphani Sacello; Meditare.

I. Qualiter mox à prædicationis exordio, cum forte iuxta mare esset Galilææ, 4 piscatores, miraculo capturæ piscium ad sequendum se attraxerit Dominus, operum ac doctrinæ suæ testes & cooperatores, relictis omnibus constanter sibi adhærentes, Petrum & Andream fratres. Iacobum item & Ioannem Zebedæi filios. Matth. 4. Mar. 1. Luc. 5. *Pater noster. Aue Maria*

II. Vt cum his Capharnaum ingressus Dominus sabbatho in Synagoga immundum spiritum à dæmoniaco eiecerit, & inde egressus Petri domum intrans, febricitantem eius socrum sanarit, qua fama increbescente, ad vesperam eius diei, domus à multis infirmis circumgyrata est: quibus omnibus manuum impositione curatis, postridie solus desertum orandi causa petijt. Mar. 1. Luc. 4. Matt. 8. *Pater noster. Aue Maria.*

III. Ibidem à turba repertum, ideoque mare transfretantem turbis dimissis, interque nauigandum obdormientem Dominum; vbi exorta tempestas, metum discipulis inijciens, increpatam illorum diffidentiam, ac Domini imperio mare tranquillum redditum, præsentibus cum stupore manifestauit. Matt. 8. Mar. 4. Luc. 8. & 9. *Pater noster. Aue Maria.*

Oratio ad Deum.

DOmine Iesu Christe fili Dei viui, qui fecisti cœlum & terrã, mare & omnia quæ in eis sunt, profundũq; abyssi intueris, qui ambulas super pennas vẽtorum, qui fecisti terribilia in mari rubro, qui facis mirabilia magna, & eruis sustinentes te Domine, libera nos de magnis huius seculi vndis, vt liberati glorificemus nomen tuum in secula, & cantemus tibi, quia gloriosè magnificatus es. Mittere etiam Domine dignare angelum tuum sanctũ de cœlis, vt sit dux vitæ nostræ, sicut fuit quondam Patribus nostris, quando eduxisti eos de terra Aegypti, in fortitudine magna & manu valida, & perduc nos recto itinere, ad locum optatum, regnum tuum, vbi cum Patre & Spiritu sancto merces, corona, & gloria es omnium Sanctorum, per infinita secula. Amen.

Oratio ad S. Stephanum.

COElestis militię prime Christi signifer & protomartyr S. Stephane, Euangelicæ legis propugnator strenue. Tu cum denso saxorum grandine, à Iudæis saxis durissimis impetitus, preces pro

pro lapidibus reponeres, & admiranda charitatis virtute pro inimicis exorares, supplices te rogamus, vt qui tuo exemplo inimicos diligere edocemur, eius adiuti gratia, præceptum diligendi valeamus implere, vt cum finis vitæ aduenerit, dilectionis merito, cælos videamus apertos, ac Iesum cum cœlesti gloria nos remorantem, per eundem Christum Dominum nostrum. Amen.

IN ALTERO QVOD OBVIAT S. Iacobi Templo, meditare.

I. Vt nauigio in regionem Gerasenorum delatus Dominus duos obuios dæmoniacos liberarit à dæmonibus ad 2000 porcorum, quos in mari demergebant, post ingressis: quo facto perplexi incolæ Dominum vt recederet, rogarunt, & eo vnde venerat, transfretare fecerunt, vbi à turba benigne acceptus, Capharnaum iterum ingressus, ibi vna dierum docens, paralyticum per tegulas, ob frequentiam hominum ad se demissum, etiam à peccatis curauit, ac pharisæos obmurmurantes confutauit. Matth. 8. & 9. Marc. 2. & 5. Luc. 5. & 8. *Pater noster. Aue Maria.*

II. Iterum ad mare egressum Dominũ, vbi Matthæũ ad teloniũ sedentem, ad se sequendũ inuitauit, à quo post conuiuio exceptus, Pharisæos ibi quoque præsentes repressit, obmurmurantes, eo quod ipse cum peccatoribus manducaret, & discipuli non ieiunassent. Matth. 9 Mar. 2. Luc. 5. *Pater noster. Aue Maria.*

III. Suf-

III. Suſcitantem Dominum Archiſynagogi Iairi filiam, ad quam moribundam, dum pergeret curandam, Hæmorrhoiſſam in via ſanauit, ac poſtea domum Iairi ingreſſus, iam mortuam filiã ad vitam reuocauit, vnde digreſſus duobus cæcis ſequentibus ſe viſum reddidit, ac poſt eas mox dæmoniacum mutũ curauit. Matt. 9. Mar. 5. Luc. 8. *Pater noſter. Aue Maria.*

Oratio ad Deum.

DEus ſub cuius nutibus vitæ noſtræ momẽta decurrunt, ſuſcipe preces humiliter ad te clamantium, vt de omni aduerſitate & ægritudine liberati, perpetua te gratiarum actione laudemus. Amen.

Oratio ad S. Iacobum.

ESto Domine plebi tuæ Sanctificator & cuſtos, vt Apoſtoli tui Iacobi munita præſidijs; & conuerſatione tibi placeat, & ſecura deſeruiat. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

IN TERTIO QVOD OBVIAT S. Georgij Templo, meditare.

I. Aſcendentem Dominum iterum Hieroſolymam ad paſcha, ibidemque ad probaticam piſcinam languidum in ſabbato curantem, atque hac ratione Iudæorum inſectationi obnoxium; quibus ſcripturarum authoritate confutatis, cum Phariſæi diſcipulos ob ſpicas ſabbato diſcerptas calumniarentur, rurſum eorum calumnias confu-

confutauit. Ioan.5. Matt.12. Mar.3. Luc. 6. *Pater noster. Aue Maria.*

II. Vti itidem tertio fecerit Dominus, dum sequenti sabbato alio, quendam aridam habentem manum curasset, Pharisæos se tacitè criminari sentiens: qui cum nihilo meliores inde effecti adhuc ad perdendum Christum consultarent, multa sequẽte eum turba, rursum ad mare secessit; quo tempore cum turbis relictis in montem orandi causa secessisset, post vnius integræ noctis transactam orationem, ex omnibus discipulis ad se vocatis 12. Apostolos selegit. Matth.5. & 12. Mar.3. Luc.6. *Pater noster. Aue Maria.*

III. Qualiter cum ijs è monte descendens Dominus coram vniuersa multitudine, vitæ Euangelicæ summam complexus, veterem legem, perfectioribus adimplens præceptis, eorundem obseruatione, pharisæorum iustitiam superandam docuerit. Matt.5. Mar.3. Luc.6. *Pater noster. Aue Maria.*

Oratio ad Deum.

AVfer à nobis benignissime Deus omnem cordis amaritudinem, & indignationis affectum, nosque fraterna dilectione vnitos in numerum discipulorum tuorum recipe, vt glutino mutuæ charitatis deuincti, vno corde & anima vna, in tua semper laude viuamus. Amen.

Oratio ad S. Georgium.

DEus qui nos B Georgij Magni Martyris tui, meritis & intercessione, lætificas, concede propitius, vt qui eius bene-

beneficia poscimus, dono tuæ gratię consequamur.

IN QVARTO QVOD OBVIAT TEMplo Carmelitarum, meditare.

I. Docentem Dominum, elemosinam, orationem ac ieiunia aliter à nobis exhibenda, quam à Pharisæis; demum ab auaritia ac superflua rerum terrenarum solicitudine auocantem. Matt 6. *Pater noster. Aue Maria.*

II. His adijcientem Dominum, cauendum à pseudoprophetis, orationi instandum, nec temere iudicandum. Matth. 7. Luc. 6. *Pater noster. Aue Maria.*

III. Dominum sanantem leprosum, quem mūdatum ad sacerdotem misit, Capharnaum dein ingressus, Centurionis, ob raram fidem excellenter commēdati, seruum absens, à paralysi pariter liberauit. Matth. 8. Mar 1. Luc. 5. & 7. *Pater noster. Aue Maria.*

Oratio ad Deum.

DOmine Iesu Christe, qui de monte paterni throni, in vterū Virginis, vt generis humani lepram sanares, descēdere dignatus es, dignare gratiæ tuæ extensa manu, animas nostras, varijs peccatorum maculis leprosas tāgere, quatenus corpore saluati & mente, congruam tibi semper exhibeamus seruitutem. Amen.

Oratio

Oratio ad B.V. loci Patronam.

O gloriosa Virgo Deipara Maria, possumus quidem Deum intra nos suscipere, animo vero & corpore simul quoque parere, id vnius tuum decus est. Tu ergo super omnes ingenti prestantia Virgo & Mater, quæ filium Deum habes, hoc apud illum nobis confice, vt qui animo & corpore tuus est, aliqua virtutum ęmulatione sit etiam noster, qui cum patre & spiritu sancto viuit & regnat Deus per omnia sæcula seculorum. Amen.

IN QVINTO QVOD OBVIAT TEMplo S. Ioan. Baptistæ in curia, meditare.

I. Abinde Capharnaum se post in Ciuitatem Naim profectum Dominum, ibidemque vnicum viduæ filium à morte ad vitam reuocantem, quibus miraculis diuulgatis, eorum duritiam exprobrauit, ac nec per Ioannem, nec per se ad resipiscentiam commotos pharisæos publicanis posthabuit, quod ipsum insigni exemplo contritæ peccatricis Magdalenæ in domo Simonis demonstrauit. Matth. 11. Luc. 7. *Pater noster. Aue Maria.*

II. Post diuersa peragrata loca, aliquando tandem se domum recipientem Dominum, vbi confestim rursum à turba circundatus, oblatum sibi dæmoniacum, cæcum & mutum ab omnibus simul malis curauit, & calumniatores Pharisæos confutauit. Matth. 12. Marc. 3 Luc. 11. *Pater noster, Aue Maria.*

III. Vt matri & fratribus carnalibus, verbi Dei obſeruatores præferendos, eadem confutationis rationabili diſputatione Dominus dixerit, cum mulier quædam à turba, fœlicem tanti Magiſtri Matrem proclamaſſet; quos mox, cum à quodam de matris fratrumque aduentu, volentium ſibi loqui interpellaretur, matrem & fratres appellauit. Matth. 12. Marc. 3. Luc. 8. 11. *Pater noſter. Aue Maria.*

Oratio ad Deum.

PRoteĉtor in te ſperantium Deus, adauge nobis fidem ſpem & charitatem, vt per gratiam dilecti filij tui, in omne opus bonum regenerati, mandatorum tuorum, impigri ſectatores perpetua tibi gratiarum actione placeamus.

Oratio de S. Ioanne Baptiſta.

OMnipotens ſempiterne Deus, da cordibus noſtris, illarum rectitudinem ſemitarum, quam B. Ioannes Baptiſta, vox clamantis in deſerto edocuit, per Chriſtum Dominum noſtrum Amé.

IN SEXTO QVOD OBVIAT TEMplo S. Catharinæ, meditare.

I. Rurſum mare adeuntem Dominum, vbi congregata turba multa, iterum docere cœpit, in varijs parabolis, vt de ſeminante, de ſemine creſcēte, de zizanijs, de grano ſinapis, & de fermento, hiſce ſignificans, malos ſemper bonis fore permixtos, quemadmodum hiſce ad populum habitis ſeorſum apud diſcipulos, adiectis nouis de theſau-

thesauro, margarita & sagena similitudinibus, euidentius idipsum declarauit. Matth. 13. Marc. 4. Luc. 8. *Pater noster. Aue Maria.*

II. Docentem paulo post in Nazareth Dominum, ac eam incredulitatis condemnantem, ideoque à ciuitatensibus popularibus ex vrbe eiectum, vbi de eorum medio, cum è mentis vertice eum adhuc præcipitare conarentur, se subduxit. Matt. 13. Mar. 6. Luc. 4. *Pater noster. Aue Maria.*

III. Circumeuntem deinceps Dominum omnes ciuitates & vicos cum Apostolis, quibus ablegatis ac officio fungentibus per Euangelij prædicationem, & morborum curationem, secutus est ipsos Dominus quoquouersum, cum eis mala, quæ eos manerent, prædixisset. Matth. 9. & 10. Mar. 6. Luc. 8. & 9. *Pater noster. Aue Maria.*

Oratio ad Deum.

DEus qui in omnibus Ecclesiæ tuæ membris, Christi filij tui voce, bonorum seminum satorem te, & electorũ palmitum esse cultorem manifestasti, tribue quæsumus fidelibus tuis, qui vinearũ apud te nomine censentur & segetum, vt spinarum & tribulorum squalore resecato, digne efficiantur fruge fœcundi. Amen.

Oratio ad S. Catharinam.

AVe virgo & Martyr speciosa Catharina, ipsis clarior syderibus, cuius vultum & decorem rex Christus concupiuit. Tu pulchra filia Sion pro mor-

tali tunica, agni vellere tecta, preces nostras spōso porrige, quæ cubas sub vmbra dilecti; Impetra nobis dilectionis virtutem, quatenus implentes mandata Domini, corpore exuti ad montem legis donatione celebrem angelico ministerio trāsferamur. Per Christum &c.

IN SEPTIMO, QVOD OBVIAT *Templo Beatæ Virginis Mariæ in Σιγεω meditare.*

I. Vt Herodes audita tanta nominis IESV fama dubitarit, an decollatus à se Ioannes à morte resurrexisset. Quam Dominus de se suspitionem intelligens inuidiæ declinandæ causa, cum Apostolis ex prędicatione reuersis, trās mare Galilææ in desertum locum secessit nauigio, vbi cum itidem multa turba ad se conflueret, quinque millia virorum quinquę panibus & duobus piscibus satiauit, cophinis post refectionem duodecim superabūdantibus. Matth. 14. Mar. 6. Luc. 9. Ioan. 6. *Pater noster. Aue Maria.*

II. Vt instante alio paschate ob hoc miraculum se à plebe in regem rapiendum animaduertens, solus in montem fugerit, inde super mare ambulans ad suos ob phantasmatis existimationem cōsternatos, reuersus, Petro ambulandi super aquas facultatem dederit, & naui in petitam ripam delata, vndique collectos ægros contactu fimbriæ sanarit, posteraque die ex occasione miraculi quinque panum à panis corruptibilis desiderio, ad quærendum cœlestem panem, se designando, prolixè differuerit. Matt. 14. Mar. 6. Ioan. 6. *Pater noster. Aue Maria.*

III. Vt ad degētem in Galilæa Christum dominum

aum, quidam ex Pharisæis, Hierosolymis descéderint offensi atque expostulantes cum eo, quod eius discipuli illotis manibus contra traditiones manducarent, quibus Dominus vicissim ceu mandatorum DEI præuaricatoribus transgressiones suas objiciens, respondit; quæ in os intrant, non coinquinare hominem, sed quæ de ore ex corde procedunt. Matt. 15. Marc. 7. *Pater noster. Aue Maria.*

Oratio ad Deum.

DEVS qui nos salutari tua doctrina & exemplo à terrenis & temporalibus auocas, & ad quærenda cœlestia & æterna indesinenter hortaris, da vt hisce potéti virtute prouocati, ad futuram gloriam, quam diligentibus te pręparasti, toto cordę curramus. Amen.

Oratio ad B. Virginem Mariam loci patronam.

AVe suprema Virginum,
AEterni patris filia,
Et sponsa sacri flaminis,
Christiq́ue mater inclyta
A te parens mitissima,
Opem gementes poscimus,
Tuum precare filium,
Vt nostra tollat crimina.

IN TERTIA CAPITALI ECCLEsia S. Seuerini meditare.

I. Vt in partes Tyri & Sidonis egressus Dominus

Chananeæ filiam iteratis matris precibus, à dæmonio liberarit, indeque ad mare Galilææ reuersus, surdum & mutum sanarit. Matt. 15. Mar. 7. *Pater noster. Aue Maria.*

II. Vt deinceps ascenso monte, rursum quatuor millia virorum prӕter paruulos & mulieres, qui ipsum triduo sustinuerant septem panibus, ac paucis pisciculis pauerit, septem sportis fragmẽtorum, post refectionem collectis, quo signo facto, in fines Magedon venit, Matt. 15. Mar. 8. *Pater noster. Aue Maria.*

III. Vt denuo ibidem confutatis pharisæis, secundo iam cœleste signum in cassum à se petentibus, ijs dimissis iterum transfretarit, eorumque fermentum cauendum docuerit, vbi discipulos cum panibus solliciti essent, diffidẽtiæ coarguit, in memoriam duo superiora miracula allegans, cӕco ad se in Bethsaidam adducto & curato. Mat. 16. Mar. 8. *Pater noster. Aue Maria.*

Oratio ad Deum.

DOmine IESV Christe, etsi vt canis instar non sim dignus integrũ abs te panem, donorum tuorum gratuitorũ percipere, da mihi obsecro saltem micas paruulas, de gratia tua, quatenus illa obtenta, non solum à peccato & dæmonio fiam immunis, verùm etiam cohæredum tuorum adoptionem sperare queam, per temetipsum. Qui viuis & regnas Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

(∴)

Oratio

Oratio ad S. Seuerinum.

SAncte pater Seuerine, Maiestati ser Diuinæ preces pro familia, vt mũdati suo rore vitiorum à squalore, fœcundemur gratia: Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Precatio in 3. psalmum Pœnitentialem pro dono scientiæ.

SPiritum nobis Domine scientiæ infunde, quo anima nostra infirmitatis ac fragilitatis suæ commonita atque edocta: & multitudinis ac grauitatis peccatorum suorum admonita atque conscia, cõtinuum pœnitentiæ dolorem seruet, & in afflictiuis operibus firmè ac iugiter perseueret: ne vllis vnquam inimicorum technis vel irrisionibus seducta aut lassata à commissorum planctu desistat, vel deficiat.

Psalmus 37. Pœnitentialis 3.

DOmine ne in furore tuo arguas me: neque in ira tua corripias me.

Quoniam sagittæ tuæ infixæ sunt mihi: & confirmasti super me manum tuã.

Non est sanitas in carne mea à facie iræ tuæ: non est pax ossibus meis à facie peccatorum meorum.

Quoniam iniquitates meæ supergressę

ſunt caput meum: & ſicut onus graue grauatæ ſunt ſuper me.

Putruerunt, & corruptæ ſunt cicatrices meæ: à facie inſipientiæ meæ.

Miſer factus ſum, & curuatus ſum vſq; in finẽ: tota die contriſtatus ingrediebar.

Quoniam lumbi mei impleti ſunt illuſionibus: & nõ eſt ſanitas in carne mea.

Afflictus ſum, & humiliatus ſum nimis: rugiebam à gemitu cordis mei.

Domine ante te omne deſiderium meum: & gemitus meus à te non eſt abſconditus.

Cor meum conturbatum eſt, dereliquit me virtus mea: & lumen oculorum meorum, & ipſum non eſt mecum.

Amici mei, & proximi mei: aduerſum me appropinquauerunt, & ſteterunt.

Et qui iuxta me erant, de longè ſteterunt: & vim faciebant, qui quærebant animam meam.

Et qui inquirebant mala mihi, locuti ſunt vanitates: & dolos tota die meditabantur.

Ego autem tanquam ſurdus non audiebam: & ſicut mutus non aperiens os ſuũ.

Et factus ſum ſicut homo non audiens: & non habens in ore ſuo redargutiones.

Quoniam in te Domine ſperaui: tu exaudies me Domine Deus meus.

Quia

Quia dixi, ne quando supergaudeant mihi inimici mei: & dum commouentur pedes mei, super me magna locuti sunt.

Quoniam ego in flagella paratus sum: & dolor meus in conspectu meo semper.

Quoniam iniquitatem meam annunciabo: & cogitabo pro peccato meo.

Inimici autem mei viuunt, & confirmati sunt super me: & multiplicati sunt qui oderunt me iniquè.

Qui retribuunt mala pro bonis, detrahebant mihi: quoniam sequebar bonitatem.

Ne derelinquas me Domine Deus meus: ne discesseris à me.

Intende in adiutorium meum, Domine Deus salutis meæ.

Gloria Patri.

Precatio contra Gulam.

OMnipotens æterne Deus, qui vt salutarem abstinentiam exemplo & verbo doceres assūpta carnis nostrę mortalitate, quadraginta dierum ieiunium mirabiliter obseruasti: & non in solo pane hominem viuere, sed in omni verbo quod ex ore diuino procedit, tentanti Sathanæ respondisti: Concede nobis lautissimos euitare cibos, & exquisitas epulas ac omnia gulæ irritamenta fugere; & talē ac tali-

taliter victum quærere qualem ac qualiter ad vitam & salutem, vti salutaria præcepta tua præcipiunt, opus est: quo dignitas conditionis humanæ in primo parente per immoderantiam sauciata, medicinalis parsimoniæ studio in nobis reformetur.

In exitu huius Templi, procedendo versus Panthaleonem 4. capitalem Ecclesiam, 2. in transitu Templa occurrunt, quorum intermedia via, 3. Rosarium dici poterit.

IN PRIMO, QVOD OBVIAT *Templo Beatæ Mariæ Magdalenæ, meditare.*

I. Bethsaida digressum Dominum in partes Cęsareæ Philippi, vbi cum hominum de se opinionem quæsisset, ac Petrus veram confessionem edixisset, B. illum pronuncians, singulare illi Ecclesiæ regimen addixit, quem tamen mox de sua passione reluctantem increpauit, docens omnibus salutis æternæ amantibus post se crucem tollere opus esse. Matt. 16. Mar. 8. Luc. 9. *Pater noster. Aue Maria.*

II. Octauo deinde die coram tribus Apostolis in monte Thabor, transfiguratum Dominum, & post colloquium cum Moyse & Elia simul comparentibus, paterna è cœlis voce, eis commendatum, quam visionem, cum silentio ad tempus inuoluendam, iussisset, è monte descendens, demoniacum quem ob imperfectionem fidei, discipuli non

non potuerunt curare, sanauit, contestans tale dæmoniorum genus in ieiunio & oratione eijciendum. Matth. 17. Marc. 9. Luc. 9. *Pater noster. Aue Maria.*

III. Inde profectum Dominum in Galilæam ac imminentem sibi passionem prædicentem apertis quidem verbis, sed à discipulis necdum captis, demum post longam peregrinationem iterum Capharnaü reuersum, vbi pro se & Petro staterem ex ore piscis inuento didrachma solui iussit, quo eodem loco discipulos de primatu inter se corrixantes, puero in medium producto, humilitatis docens viam saluandis necessariam, ac per quam quisque maior efficiatur, redarguit. Matth. 17. 18. Mar. 9 Luc. 9. *Pater noster. Aue Maria.*

Oratio ad Deum.

DEVS qui ex alto humilia respicis in terra, superbis resistens, ac humilibus das gratiam, humiliter te deprecamur, largire nobis veram humilitatem, cuius in se formam vnigenitus tuus humanitate assumpta, fidelibus exhibuit, eãque à se discendam voluit, quatenus nunquam tuam prouocemus indignationem elati, sed propitiationis tuæ dona semper capiamus subiecti, quo sub potenti manu tua humiliemur, vt nos in tempore visitationis exaltes. Amen.

Oratio ad B. Mariam Magdalenam.

LArgire nobis Clementissime pater, quod sicut B. Maria Magdalena, vnige-

vnigenitum tuum ſuper omnia diligēdo, ſuorum obtinuit veniam peccaminum, ita nobis apud tuam miſericordiam ſempiternam impetret beatitudinem. Per eũdem Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

Ante, ſecundum, quod obuiat, Cartuſianorum Templum, cum id peruium nõ ſit, tranſeundo ad formam ferream ibi poſitam coram imagine S. Brunonis & Barbaræ infraſcriptas effunde orationes.

Oratio ad S. Brunonem.

O Beate Bruno, qui teterrimo hoc carcere ſolutus, lætus ac alacer in patriam reuolaſti, qui nec malis vitę pręſentis, nec à Diabolo ampliꝰ vexaris: Nos hic inter tot vndas fluctuantes ab alto de beatiſſima ſorte tua reſpice, & patri cœleſti, cui inſeparabiliter es coniunctus ſupplica, vt iſtuc nos quoque, ſiue vltro volentes ſiue renitẽtes pertrahat. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

Oratio ad S. Barbaram.

O Fœlix Barbara virgo & Martyr, candẽs rubenſq; roſa, quę vt Chriſti diſcipulo fores, omnem impium idolorum

forum cultum, fortiter respuisti, & quo illius sponsa fores, omnem seculi ornatum contempsisti, supplica virgo sanctissima sponso tibi charissimo, vt fidei gratiam nobis adaugeat, quo diabolo ac cæteris fidei hostibus fortiter resistamus, atque eius protectione ab omni inimicorum incursu liberi, cum finis vitæ aduenerit, SS. corporis & sanguinis Domini nostri Iesu Christi Sacramentum per veram pœnitentiam & puram confessionē percipere mereamur, per eundem Christum Dominum nostrum. Amen.

IN QVARTA CAPITALI ECCLEsia S. Pantaleonis, meditare.

I. Scandala inhibentem siue illa actiua siue passiua, maxime propter pusillos, quæ quia omni modo caueri non possunt, subiungentem, quomodo frater peccans, monendus, & quomodo eidem condonandum; data de Patrefamilias similitudine. Matt. 18 Mar. 9. *Pater nost. r. Aue Maria.*

II. Proficiscentem Dominum relicta Galilæa in Iudæam, ac Hierosolymam iam ob Tabernaculorum festiuitatem pergentem, à Samaritanis quibusdam ciuitate exclusum, nec se ob illatam iniuriam ad discipulorum licet instantiam vindicantem, sed patientiam seruandam docentem, quam opere exequens cum eis in alium pagum abiit. Matt. 9 Marc. 10. Luc 9. Ioan. 7. *Pater noster. Aue Maria.*

III. Et

III. Et quod amplius est adhuc bona pro malis reddentem, prout Samariæ vicum quendam ingressus, decem leprosos obuiã curauit eo qui solus gratias retulisset commendato. Vbi verò Hierosolymis in festo Scenopegiæ post longam expectationem Iudæorum in Templo docere cœpisset, adeo efficaciter contra quorundam calumnias, doctrinæ & operum suorum, rationem reddens disseruit, vt licet eum quidam comprehendere desiderassent, nemo tamen illi manus iniicere ausus fuerit. Luc. 17. Ioan. 7. *Pater noster. Aue Maria.*

Oratio ad Deum.

DOmine IESV, Christe qui de Samaritanis, hospitium tibi negantibus non te vindicasti, sed patiẽter ferens, humiliter ad aliũ locũ declinasti: Præsta mihi indigno, ô dulcis hospes animæ meæ, vt vitijs cunctis expulsis, gradum tibi in corde meo hospitium valeam præparare, & si quando ob mea demerita ibi receptus non fueris, noli mihi irasci, & à seruo tuo in ira declinare, aut vindictam de me sumere: sed reconcilia me tibi per tuam misericordiam, & da vt tibi per dignam præparationem cor aperiam, tibique placeat ad me seruum tuum intrare, qui cum Patre, & Spiritusancto viuis & regnas DEVS per omnia secula benedictus. Amen.

(.·.)

Oratio

Oratio ad SS. Panthaleonem & Albinum.

DEus qui tuorum virtutibus Sanctorum languoribus nostris perfectè mederis, da nobis Sanctorum Panthaleonis & Albini Martyrum tuorum magnũ certaminis pręmium digne recolere, quatenus ipsis suffragantibus, languoribus nostris te mederi sentiamus. Per Christũ Dominum nostrum. Amen.

Precatio in 4. Psalmum Pœnitentialem pro dono Fortitudinis.

SPiritum nobis Domine fortitudinis concede: quo anima nostra à peccatorum sordibus tersa, & à maculis ac reliquijs eorum repurgata spiritu recto ac principali confirmetur: quo tentationibus & impugnationibus fortiter resistat; ac mundo corde & humiliato, tuam nunquam desinat clementiam implorare, & gratiam impetrare; vtque sic laudem tuã de peccatis remissis iugiter annũciet, quo cæteros misericordiam sperare doceat, & ad amplectendã pœnitẽtiam exhortetur.

Psalmus 50. Pœnitentalis 4.

MIserere mei Deus: secundum magnam misericordiam tuam.

Et secundùm multitudinem misera-

tionum tuarum: dele iniquitatem meam.

Ampliùs laua me ab iniquitate mea: & à peccato meo munda me.

Quoniam iniquitatem meam ego cognoſco: & peccatum meum contra me eſt ſemper.

Tibi ſoli peccaui, & malum coram te feci; vt iuſtificeris in ſermonibus tuis, & vincas cùm iudicaris.

Ecce enim in iniquitatibus conceptus ſum: & in peccatis concepit me mater mea.

Ecce enim veritatem dilexiſti: incerta & occulta ſapientiæ tuæ manifeſtaſti mihi.

Aſperges me Domine hyſſopo, & mũdabor: lauabis me, & ſuper niuem dealbabor.

Auditui meo dabis gaudium & lætitiã: & exultabunt oſſa humiliata.

Auerte faciem tuam à peccatis meis: & omnes iniquitates meas dele.

Cor mundum crea in me Deus: & ſpiritum rectum innoua in viſceribus meis.

Ne proijcias me à facie tua: & Spiritum ſanctum tuum ne auferas à me.

Redde mihi lætitiam ſalutaris tui: & Spiritu principali confirma me.

Docebo iniquos vias tuas: & impij ad te conuertentur.

Libera

Libera me de sanguinibus Deus, Deus salutis meæ: & exultabit lingua mea iustitiam tuam.

Domine labia mea aperies: & os meum annunciabit laudem tuam.

Quoniam si voluisses, sacrificium dedissem: vtique holocaustis nō delectaberis.

Sacrificium Deo spiritus cōtribulatus: cor contritum & humiliatum Deus non despicies.

Benigne fac Domine in bona voluntate tua Sion: vt ædificentur muri Hierusalem.

Tunc acceptabis sacrificium iustitiæ, oblationes, & holocausta: tunc imponent super altare tuum vitulos.

Gloria Patri & filio.

Precatio contra luxuriam.

O Pudicitiæ amator sanctissime De', qui munditiam tātum extulisti, vt ex mundissimo virginali vtero humanā assumere carnē dignareris: respice nostrā fragilitatem, & da nobis castitatis virtute ac cōtinentiæ disciplina carnis concupiscentias frenare; & omnia libidinis irritamenta & voluptatis blandimenta, intellectus dictamine ac rationis moderamine fugare: vt domestico hoste deuicto,

carnis cōcupiſcentijs voluptatumq́; blanditijs contemptis, temperantiam amplectentes, gaudij tui (quod omnem ſeculi delectationem tranſcendit, mundati ab omni macula & purgati ab omni animæ ac corporis inquinamento) participes fieri mereamur: Et te in Diuinæ eſſentiæ tuæ viſione mundis corde promiſſa perpetuo videre valeamus.

In exitu huius Templi, procedendo verſus SS. Apoſtolos, quintam capitalem Eccleſiam duo ſeſe per trāſitum viſitanda Templa offerunt; quorum intermedia via 4. Roſarium recitabitur.

IN PRIMO QVOD OCCVRRIT
Templo S. Mauritij, meditare.

I. Pergentem poſt hæc in montem Oliueti Dominum, indeq́ue primo diluculo iterum in Templum docendi gratia regreſſum, vbi adulteram à phariſæis in dolo adductam ijs pudefactis abſoluit, ac de nouo quis eſſet oſtendit, ideoque quaſi blaſphemus lapidandus ab eorum manibus ſe eripuit. Ioan. 8. *Pater noſter. Aue Maria.*

II. Donantem Dominum à natiuitate cœcum viſu, qui in Siloe ablutus, cum illuminantem ſe Chriſtum contra nouas phariſæorum calumnias defendiſſet, eiectus ab eis, receptus à Chriſto in fide plenius inſtructus eſt, eodē Domino inſinuante Iudæorū principes mercenarios, ſe autē verum paſtorem eſſe. Ioan. 9. 10. *Pater noſter. Aue Maria.*

III. De-

III. Designantem post hæc Dominum alios 72. discipulos, qui instar aliorum 12. ipsum bini præcederent, ad quæuis loca; Quibus cum gaudio ad se reuersis, viciſſim in ſpiritu exultauit, quod diuina ſapientia reuelata paruulis, ſapientibus abſcondita eſſet. Luc. 10. *Pater noſter. Aue Maria.*

Oratio ad Deum.

DOmine Ieſu Chriſte, quo oculos cœci nati impoſito luto aperuiſti, digneris pariter ad agnoſcendam peccatorum meorum fœditatem, aperire oculos cordis mei, ne fortè in tenebris ambulans impingam, & in foueá gehennæ concidam, ſed potius diuinæ gratiæ lumine recepto, cum illuminato hoc cæco te ſaluatorem meū agnoſcere ac alijs timentibus te, quanta feceris animæ meæ, prædicare valeam.

Oratio ad S. Mauritium.

O Beata Beatorum Mauritij & Thæbeorum Martyrum memoria. O fœlices Chriſti pugiles, ac hoſtiū Triumphatores, defenſores fidei, aulæ cœleſtis proceres, quorum nomina mundus reſonat, & gloriam deuota mēte concelebrat. Nobis oppreſſis & calamitoſis apud Deū ſubuenite precib⁹ & meritis veſtris, quatenus à ſagitta diaboli, & hoſtium incurſione erepti, ſecurè hinc ad vos commi-

gremus, per Christum Dominum nostrum. Amen.

IN ALTERO QVOD OBVIAT TEMplo S.Reinoldi, meditare.

I. Probantem Dominum Samaritanos indilectionis negotio Iudæos excellere, arrepta occasione turgidi istius legisperiti, qui tentādi causa, cum de modo cōseruādæ salutis æternæ rogabat, quē per parabolā Samaritani, qui hominis à latronibus vulnerati, à sacerdote aūt & Leuita neglecti, vitam habuit, instructum à se dimisit. Luc. 10. *Pater noster. Aue Maria.*

II. Hospitio in Bethania à Martha susceptum Dominum, vbi cū Mariæ sanctum interpellaret otium Martha, cohibita à Domino, sororis partē meliorem intellexit, circa quod tempus à discipulis rogatus Dominus orandi formam illis pręscribens perseuerantis orationis efficaciam, parabola de eo introducta, qui importunitate, panes ab amico nocte impetrauit, ostendit, Luc. 10. 11. *Pater noster. Aue Maria.*

III. Alio tempore à quodam pharisæo ad prandium vocatum Dominum, ac ab eo ob neglectam lotionem repræhensum, vbi liberè pharisaicā hypocrisin ac sanguinolentem eorum animum taxauit, simul docens vice alia coram multitudine hominum eosdem corpus occidentes non timēdos, sed eum qui corpus & animam mittit in gehennam. Luc. 11. & 12. *Pater noster. Aue Maria.*

Oratio ad Deum.

Domine Iesu Christe, custodi nos descendentes de cōtemplatione ad actionem, ne incidamus in latrones sensuum

ſuum, appetitus, nec ſpoliati vulneremur in naturalibus, Sacerdos item & Leuita id eſt ſuperior & inferior portio nō eadem via tranſeánt in peccatum cōnſentiendo. Samàritanꝰ verò gratia Dei nobis appropians vulnera peccatorū liget, infundens oleum ſpē veniæ, & vinū timorem iuſtitiæ imponat in iumentum, ordinando rationē ſupra ſenſualitatē: ducat in ſtabulū inconſideratione peccatorum; altera die reſurrectionis, det duos denarios immortalitatis ſtolā animæ & corporis. Amen.

Oratio ad S. Reinoldum.

OMnipotens ſempiterne Deus, qui meritis B. Reinoldi Martyris tui languenti populo ſanitatū remedia cōtuliſti; noſtrarū quæſumus medere languoribus animarum, vt mente & corpore pariter expediti, quæ tuæ ſunt placita volūtati, deuotis mentibus exequamur. Per Chriſtum Dominum noſtrum.

IN QVINTA CAPITALI ECCLEſia ad SS. Apoſtolos, meditare.

I. Docentē Dominum diuitiarum ſolicitudinē abijciendā, & ſeruū vt erga venturum Dominum fidelis atque ob eius aduētus incertitudinē paratus ſit, erudientem. Luc. 12. *Pater noſter Aue Maria.*

II. Ad pœnitētiā agendā inuitantē Dominū ob Dei patientiā, inducta ſimilitudine de arbore ob ſterilitatem amputāda poſt longum fructum in-

cassum exspectatum. Luc. 13. *Pater noster. Aue Maria.*

III. Sabbato quadam in Synagoga contractam mulierem sanantem Dominum, ac viam regni cœlorum angustam per ciuitates & vicos docentem, quo eodem tempore in Hierusalem sibi moriendum prædixit, cuius incredulam obstinationem & secuturam vindictam deplorauit. Luc. 13. *Pater noster, Aue Maria.*

Oratio ad Deum.

MIsericordiæ tuæ remedijs, quæsimus Domine fragilitas nostra subsistat, vt quæ sua conditione atteritur, tua dementia reparetur, & effectum beatę perennitatis acquirat.

Oratio ad SS. Apostolos.

DEus qui nobis per ministerium Apostolorum, Euangelistarum atq; discipulorum tuorum veritatem Euangelij patefieri voluisti, cócede propitius, vt quod ab illorum ore didicimus, gratia tua adiuuante teneamus.

Precatio in 5. psalmum Pœnitentialem. Pro dono consilij.

SPiritum nobis Domine consilij impartire: quo anima nostra, tribulationibus & impugnationibus impetita ac molestata, admoneatur in se nunquã confidere, sed ad tuum adiutricis gratię auxilium

lium ſemper confugere. Et quo præſentia ſeculi calamitates æquanimius ferat, temporis breuitatem, celeremque temporalium mutationem, atque permanentem futuri ſeculi felicitatem, memoriæ iugiter inſere.

Pſalmus 101. Pænitentialis 5.

DOmine exaudi orationem meam: & clamor meus ad te veniat.

Non auertas faciem tuam à me: in quacunque die tribulor, inclina ad me aurē tuam.

In quacunque die inuocauero te: velociter exaudi me.

Quia defecerunt ſicut fumus dies mei: & oſſa mea ſicut cremium aruerunt.

Percuſſus ſum, vt fenum, & aruit cor meum: quia oblitus ſum comedere panē meum.

A voce gemitus mei: adhæſit os meum carni meæ.

Similis factus ſum pellicano ſolitudinis: factus ſum ſicut nycticorax in domicilio.

Vigilaui: & factus ſum ſicut paſſer ſolitarius in tecto.

Tota die exprobrabant mihi inimici mei: & qui laudabant me, aduerſum me iurabant.

Quia cinerem tanquam panem mãducabam:& potum meum cum fletu miſcebam.

A facie iræ indignationis tuæ: quia eleuans alliſiſti me.

Dies mei ſicut vmbra declinauerunt: & ego ſicut fenum arui.

Tu autem Domine in æternũ permanes:& memoriale tuum in generatione & generationem.

Tu exurgens Domine miſereberis Siõ: quia tempus miſerendi eius, quia venit tempus.

Quoniam placuerunt ſeruis tuis lapides eius:& terræ eius miſerebuntur.

Et timebunt gentes nomen tuum Domine:& omnes reges terræ gloriam tuã.

Quia ædificauit Dominus Sion: & videbitur in gloria ſua.

Reſpexit in orationem humilium: & non ſpreuit preces eorum.

Scribantur hæc in generatione altera: & populus qui creabitur, laudabit Dominum.

Quia proſpexit de excelſo ſancto ſuo: Dominus de cælo in terram aſpexit.

Vt audiret gemitus compeditorum: vt ſolueret filios interemptorum.

Vt annuncient in Sion nomen Domini: & laudem eius in Hieruſalem.

In con-

In conueniendo populos in vnum: & reges vt seruiant Domino.

Respondit ei in via virtutis suæ: paucitatem dierum morum nuncia mihi.

Ne reuoces me in dimidio dierũ meorũ: in generatiõe & generationẽ anni tui.

Initio tu Domine terram fundasti: & opera manuum tuarum sunt cæli.

Ipsi peribunt, tu autem permanes: & omnes sicut vestimentum veterascent.

Et sicut opertorium mutabis eos, & mutabuntur: tu autem idẽ ipse es, & anni tui non deficient.

Filij seruorum tuorũ habitabunt: & semen eorum in sæculum dirigetur.

Gloria Patri, & Filio.

Precatio contra Inuidiam.

O Mundissimũ charitatis speculũ dulcissime Deus: qui amore tui ac proximi, legis præcepta contulisti: da nobis proximos nostros fraternis visceribus amare, illumq; solũ odio habere, cuiꝰ inuidia mors introiuit in orbẽ terrarũ. Da de proximorũ prosperitate gaudere, illorũ aduersitatibus cõdolere, de nullius infelicitate lætari: vt omnis inuidiæ malitia reiecta, & odio radicitꝰ extirpato, ad te qui verus amor, & vera charitas es, feliciter peruenire, & in te perpetuo manere valeamus.

In exi-

In exitu huius Templi procedendo versus S. Gereonem 6. Capitalem Ecclesiam, vnum duntaxat in transitu occurrit adeũdum Templum, cuius intermedia via 5. Rosarium dicitur.

ILLVD ITAQVE, QVOD EST AD S. Aprum, intrando meditare.

I. Sanantem hydropicum in sabbatho Dominum, ac inter conuiuãdum cum quodam Pharisæo, inuitatos in deligendo mensæ loco humilitatem, & inuitantem quos potissimum inuitare conueniat docentem; vbi assumpta parabola de homine ad paratam cœnam inuitante, excusantes se, ideoque vndecunq; collectos pauperes introducente, significauit, exclusis superbis Iudæis, ad cœleste conuiuiũ, humiles admittendos. Luc. 14. *Pater noster. Aue Maria.*

II. Ob Encæniorum festiuitatem Dominum iterum Hierosolymam ascendentem, ac in templo à Iudæis ipsum circundantibus rogatum, vt palam confiteretur si ipse Messias esset, quibus opera de se testimonium perhibere respondit, licet ipsi his fidem non haberent, eò quod non essent ex ouibus suis, quo sermone protracto manibus quærentium apprehendere se subtraxit, ac trans Iordanem in fines Iudææ secessit, nec ibi latere valens, omnes ad se venientes pro more curauit languidos. Ioan. 10. *Pater noster. Aue Maria.*

III. Proponentẽ Dominum parabolas, de oue, drachmate, filio, perditis, & vilico iniquitatis, his insinuantem publicanis & peccatoribus ibidem se conuenientibus, quam grata & iucunda sit Deo & angelis peccatorum conuersio, vtque tempora-

libus

libus bonis posthabitis, eleemosynis insistendo amici parãdi, per quos postea nobis bene sit. Luc. 15. & 16. *Pater noster, Aue Maria.*

Oratio ad Deum.

VOta famulorum tuorum quęsumus Domine benigna pietate prosequere, & ad explenda, quæ nostræ vocationis sunt, ex abundantia clementiæ tuę, gratiam vberem largire, vt de virtute in virtutem progredientes, & ad Christianam perfectionem continuo aspirantes, cœlestium bonorũ participes effici mereamur.

Oratio de S. Apro.

ADesto Domine precibus nostris, quas in S. Confessoris tui atque Põtificis Apri cõmemoratione deferimus, vt qui nostræ iustitię fiduciam non habemus, eius, qui tibi placuit, meritis & precibus adiuuemur. Per Christum Dominũ nostrum. Amen.

IN SEXTA CAPITALI ECCLEsia S. Gereonis & sociorum &c. meditare.

1. Tentatum à pharisæis Dominum, num licitũ esset diuortium, ac de matrimonij omnimoda indissolubilitate eisdem respõdentem, ob quam cum discipuli difficultatem prætenderent, de cœlibatu coniugio præferendo, sed non omni verbũ hoc capere valente, disseruit, ac paulo post Pharisæorum

ſæorum auaritiam notaturus ac luxum, parabolam de diuite Epulone & mendico Lazaro adiecit. Matth 19 Marc. 10. Lucæ 16. *Pater noſter. Aue Maria.*

II. Superbiam item Phariſæorum refutantem Dominum, ac parabolam de Phariſæo & Publicano ſimul Templum vt orarent ingreſſis, proponẽtem, quorum ille per ſuperbiam iuſtitia excidit, hic per humilitatẽ eam eſt conſecutus, Luc. 18. *Pater noſter. Aue Maria.*

III. Paruulos ad ſe adduci iubentem, & diuitem adoleſcentem ad perfectionem inuitantem, ac docentem ſalutis amãtes vt paruulorum ſimplicem humilitatem ſectẽtur, & propter regnum Dei omnia relinquant, oſtenſa difficultate, quam diuitiæ hominibus ad obtinendum regnum Dei adferre ſoleant. Matt. 19. Mar. 10. Luc. 16. *Pater noſter. Aue Maria.*

Oratio ad Deum.

DEus qui diligentibus te, cuncta facis prodeſſe, da cordibus noſtris inuiolabilem tui nominis amorẽ, vt deſideria de tua inſpiratione concepta nulla poſſint tentatione mutari, ſicque tranſeamus per bona temporalia, vt non amittamus æterna. Amen.

Oratio ad S. Gereonem.

O fauſtum chorum, ô cuneum inexpugnabilem, ô inuictos & generoſos Chriſti Milites, precum noſtrarum ſeduli

feduli suffragatores, Legati apud Deum potentissimi, nos miseros vestris iuuate precibus, vt in illa hora misericordiam consequamur, quando manifesta erũt occulta hominum, atque ita sub vestro patrocinio æternæ salutis portum attingamus, Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Precatio in 6. Psalmum Pœnitentialem pro dono intellectus.

SPiritum nobis Domine intellectus tribue, quo anima nostra, quid à tua misericordia implorandum sit intelligens, aures tuæ pietatis in suos preces inclinet: quas vt sibi patentes ac faciles inueniat; non delictorum eius & iniquitatum, sed immensę misericordię tuæ semper reminiscaris.

Psalmus 129. Pœnitentalis 6.

DE profundis clamaui ad te Domine: Domine exaudi vocem meam.

Fiant aures tuæ intendentes: in vocem deprecationis meæ.

Si iniquitates obseruaueris Domine: Domine quis sustinebit?

Quia apud te propitiatio est: & propter legem tuam sustinui te Domine.

Susti-

Suſtinuit anima mea in verbo eius: ſperauit anima mea in Domino.

A cuſtodia matutina vſque ad noctem: ſperet Iſrael in Domino.

Quia apud Dominum miſericordia: & copioſa apud eum redemptio.

Et ipſe redimet Iſrael: ex omnibus iniquitatibus eius.

Gloria Patri, & Filio.

Precatio contra Iram.

O Miſericors & mitiſſime Deus, qui aſſumpta noſtræ mortalitatis carne vt innocens & manſuetus agnus ad occiſionem ductus es & illuſus, cóſputus, percuſſus & crucifixus, malum pro malo non reddidiſti, ſed pro trãſgreſſoribus & crucifigentibus te exoraſti: planta in cordibus noſtris patientiæ & manſuetudinis virtutem, vt irę furorem vincentes, manſueto corde mala in bono vincamus, inimícoſque noſtros & perſequentes nos nec ira nec odio proſequamur: ſed magis amore & dilectione bonum pro malo reddentes, illorum odium in amorem conuertamus: quo ſimul ad te dilectionis autorem & finem perueniamus.

In exitu huius templi procedendo verſus S Cuniberti 7. Capitalem Eccleſiam s. in tranſitu viſitanda ſeſe exhibent

habent templa, quarum intermedia via 6. Rosarium recitari poterit.

IN PRIMO QVOD OBVIAT TEMplo corporis Christi, meditare.

I. Per similitudinem de patrefamilias, operarios in vineam conducente, proponentem Dominum ac differentem nouissimos primos & primos nouissimos futuros. Matth. 20. *Pater noster. Aue Maria.*

II. Quatriduanum Lazarum è sepulchro suscitantem Dominum multis Iudæis spectantibus ad fidem conuersis, pontificibus verò, pharisæis ac scribis de perdendo Domino consultantibus, qui propterea publium fugiens, secessit iuxta desertum in ciuitatē Ephræm. Ioan. 11. *Pater noster. Aue Maria.*

III. Vt, cum hæc agerentur, propter Pascha iam proximum, de nouo Dominus passionem suam discipulis necdum capientibus prædicens, Hierosolymā ascēderit, & suspicātibus de aduētu regni Christi, Zebedæi filijs petitum primatum denegarit, exindeque aliorum oborientem indignationem repressérit, imprudentiam singulorum & docendo, & maiori in regno DEI humilitatem conuenire ostendendo, quæ dicens ac procedens ante ingressum Hiericho, non procul à Hierusalem, constanter misericordiam implorantem, cœcum licet à verba prohiberetur, visu donauit. Matth. 20. Marc. 10. Luc. 18. & 19. *Pater noster. Aue Maria.*

Oratio ad Deum.

DOmine Iesu Christe, qui fœtitum è sepulchro, à morte ad vitā resuscitasti

citaſti quatriduanum Lazarum, faſciiſque ſolutum liberum dimiſiſti, concede, vt voce potentis virtutis tuæ, quatriduanus ac fœtens è profundo vitiorum excitatus, progreſſus foras, vinculis per veram confeſſionem peccati ſolutus, videre te cum illuminato cæco, merear, omnis lucis fontem. Per te eundum Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

Oratio de Venerabili Sacramento.

DEus qui nobis ſub Sacramento mirabili paſſionis tuæ memoriam reliquiſti, tribue quæſumus, ita nos corporis & ſanguinis tui ſacra myſteria venerari, vt redemptionis tuæ fructum in nobis iugiter ſentiamus. Qui viuis & regnas Deus in ſecula ſeculorum. Amen.

IN SECVNDO QVOD OBVIAT *Templo S. Vrſulæ, meditare.*

I. Vt Hiericho ingreſſus Dominus Zachæum ſe videndi cupidum, ex arbore vocarit, atque ab eo ſuſceptus, ſalutem ei iam conuerſo promiſerit, ſubiecta de homine nobili parabola, qui traditis 10. talentis ſeruis ſuis è regione longinqua reuerſo rationem cum eis iniit, collaudatis frugi ſeruis, inutili vero reprobato, ad ſignificationem in regno ſuo iam appropinquante ſimilia euentura. Lucæ 19 *Pater noſter. Aue Maria.*

II. Poſt egreſſum Hiericho duos alios cæcos libe-

libetans Dominus Cœna in Bethania facta, à Maria vnguento perfusus, eam à quorundam discipulorum indignantium, Iudæ maximè calumnijs, vindicarit, ob opus eius bonum ac mysticũ. Matt. 26. Mar. 14. Luc. 9. Ioan. 12. *Pater noster. Aue Maria.*

III. Vt postridie, Asellis, ab Apostolis ipsius iussu adducto, insidens, per viam ramarum palmis, & vestimentis stratam cum gratulabunda populi acclamatione, gloriosè Hierosolymam, cuius futurum excidium ante introitum eius deplorauit, fit ingressus. Matth. 21. Marc. 11. Luc. 19. Ioan. 12. *Pater noster. Aue Maria.*

Oratio ad Deum.

DOmine Iesu Christe, qui ad passionẽ spontaneus aduenisti, adueni & mihi misero per gratiã in corde meo. Et qui me tunc reparasti per crucem, iterum lapsum repara per eandem. Largire pariter, vt in omnibus humilitatem & mãsuetudinem custodiẽs tibi carnem & spiritum totaliter subijciam, atque vt iumentum tuum fiam, tu pectori meo insistens quasi iumentum me ad intimæ pacis gustum supernæque patriæ desiderium dirige, & tandem ad eius perduc visionem. Qui viuis & regnas cum Deo Patre in vnitate Spiritus S. Deus, per omnia secula seculorum. Amen.

(.˙.)

Oratio ad S. Vrsulam & 11000. sodales.

EIa modo iubilemus,
Laudem DEO decantemus,
Qui à mundo vos protexit,
Et de mundo vos prouexit,
Vos de terris adunauit,
Et in cœlis coronauit,
Vos implens omni gaudio.
Exultemus & lætemur,
Et cum agno iocundemur,
Delectemur, epulemur,
Nouo cantu modulemur,
Vester annus iubilæus,
O quam dulcis es ô Deus,
Post te ardenter currimus.
Æstuantes pro amore,
Nos consperge dulci rore,
Sponse noster perdilecte,
Trahe nos post te directe,
Te sentimus, te sitimus,
In cor tuum mente imus,
De vena vitæ bibimus.
In te omnes commoramur,
Quoniam nos amplexamur,
Vultum tuum contemplamur,
Quem amantes inflammamur,
Et nos satis admiramur,
Quod de te non satiamur,
Excedis enim omnia.
Tibi laudem cum Maria,
Quæ nos duxit hac in via,
Nostro damus Saluatori,

Pro

Pro quo fuit dulce mori,
Qui amasti, qui iuuisti,
Qui ad te nos pertraxisti,
Tibi laus & gloria.
O Insignes sponsa DEI,
Memento te quaso mei,
Non sit vobis hoc indignum,
Paupertatis mea signum,
Et hoc vobis carmen carum,
Quamuis paruum, quamuis parum,
Feratis cum latitia.
O praclare vos puella,
Nunc implete meum velle,
Et dum mortis venit hora,
Subuenite sine mora,
In tam graui tempestate,
Me prasentes, defensate,
A damonum instantia.
Nulla vestrum ibi desit,
Virgo mater prima prasit,
Si qua mihi fax inhasit,
Qua me sua labe lasit,
Vestra prece procul fiat,
Vos prasentes hostis sciat,
Et se confusum doleat.
Quicquam vnquam feci mali,
Vestro flore virginali,
O puella palliate,
Et me DEO prasentate,
Coram eo mecum state.
Causam meam defensate,
Ne Draco locum habeat. Amen.

Oratio ad S S. Virginum sponsum Christum.

DOmine Iesu Christe, qui sacratissimam Regis Britanniæ filiam B. Vrsulam cũ 11000. sodalibus eius ad martyrij palmam vocasti, concede propitius, vt quarum memoriam agimus in terris, eorum fœlici consortio iungamur in cœlis. Qui viuis & regnas cum patre, in vnitate spiritus sancti Deus, per omnia secula seculorum. Amen.

IN TERTIO QVOD OBVIAT sacello ad omnes Sanctos, meditare.

I. Templum deinde ingressum Dominum, ac inibi cœcos claudosque sanantem pharisæis ac scribis indignantibus ac contabescentibus, maximè cum gentiles desiderio videndi ipsum ob tot edita signa essent accensi, qua occasione ad eius petitionem voce cœlesti ipsius claritas manifestata est, qua ostensa, vesperi ciuitate egressus in Bethaniam ac altero mane in ciuitatem reuersus, ficulneæ sterili in via maledixit, & mox templum intrans, ementes & vendentes eiecit, principibus sacerdotum grauiter turbatis. Matt. 21. Marc. 11. Luc. 19. Ioannis 12. *Pater noster. Aue Maria.*

II. Templum è Bethania iterum docendi causa repetentem Dominum, vbi à pharisæis & Saducæis, multis in dolo quæstionibus impetitus ipse vicissim, varijs eos quæstionibus parabolicis, & in

& inter cæteras de Baptiſmo Ioãnis notauit, quibus ignorantibus nec ſe ad propoſitas quęſtiones reſponſurum dixit, inferens demum peccatores ipſis fore corã Deo priores. Matth. 21. Mar. 11. Luc. 20. Ioan. 20. *Pater noſter. Aue Maria.*

111. Notantem quoque phariſæos parabola de locata vinea, ſignificans ſe ab eis vt vineæ hæredem occidendum, ſed regnum Dei ab ipſis ad gẽtes transferẽdum, addita alia parabola de nuptiali conuiuio, ſignificans pro Iudæis gentes ad gratiam admittendas. Matt. 21. & 22. Mar. 12. Luc. 14. & 20. *Pater noſter. Aue Maria.*

Oratio ad Deum.

DOmine Ieſu Chriſte, qui, quãdo Iudæos flagellis de Templo exturbaſti, in oculis Diuinitatis tuæ prætendiſti flammã, præcor & obſecro te Domine, da mihi terribilẽ te præſentem attendere, vt Sancto te timeã timore, quatenus inſcrutabilia iudicia tua contremiſcens ſemper tibi in timore ſeruiam & cũ tremore exultem. Qui viuis & regnas cum Deo patre in vnitate ſpiritus ſancti Deus, per omnia ſecula ſeculorum. Amen.

Oratio ad omnes Sanctos.

O Triumphantium cum Chriſto Eccleſia ſanctorum, quantas debes gratiarum actiones perſoluere, qui te de hoc ſeculo nequã, vt illius gloriam reuelata facie contẽplari poſſis, gratis eripuit. Quamobrẽ in tãta felicitate cõſtituta, ſic

memor nostri, qui adhuc in via peregrinamur, incerti vtrum peruenire mereamur ad patriam, preces continuas porrige pro nobis ad eum quem laudas; vt & nos tuo digni quandoque habeamur cõsortio. Per Christum Dominum nostrũ, Amen.

IN QVARTO QVOD OBVIAT TEMplo B. Mariæ Magdalenæ in Bethlehem, meditare.

I. Per præcedentia pharisæos se notatos sentiẽtes, ideoque vt IESVM in sermone caperent cõsilium ineuntes, qualiter scilicet per subornatas quæstiones de tributo Cæsari dando necne, Domino proposuerint, qua persoluta & aliam per Saducæos de resurrectione contextam prudenter Dominus discussit. Matt. 22. Mar. 12. Luc. 20. *Pater noster. Aue Maria.*

II. Vt resurrectionis fide comprobata Dominus, rogantibus pharisæis de primo legis mandato, duo dilectionis præcepta responsum dando, & ipse vicissim, de Christo cuius filius esset quæstionem subinferendo obuiarit eis deficiẽtibus, ideoq; eũ vlterius interrogare ex die illa desistẽtibus. Matt. 22. Mar. 12 Luc. 20. *Pater noster. Aue Maria.*

III. Qualiter illis confusis Dominus ad plebem conuersus, scribarum doctrinam audiendam, sed vitanda eorum opera, docuerit. Matt. 23. Mar. 12. Luc. 20. *Pater noster. Aue Maria.*

Oratio ad Deum.

DOmine Iesu Christe, doce nos astutias malignantium intelligere & caue-

& cauere: nec non veritatem doctrinæ & iustitiæ custodire, quatenus Cæsarea tua imagine, non diabolica insigniti, quę mūdi sunt relinquēdo, tibi quæ tua sunt reddentes, in gratiarum actione & laude tua semper viuamus, tuique perpetua visione fruamur. Qui viuis & regnas cū Deo patre in vnitate spiritus sancti Deus, per omnia secula seculorum. Amen.

Oratio ad B. Mariam Magdalenam.

QVæsumus Omnipotens Deus, vt meritis & intercessionibus B. Mariæ Magdalenæ nobis tribuas fontem lachrymarum, cum fructu pœnitentiæ, vt admissa defleamus peccata, & cauti simus ad futura. Qui viuis & regnas cum Deo patre in vnitate spiritus sancti Deus, per omnia secula seculorum, Amen.

IN QVINTO, QVOD OBVIAT Templo ad Sanctos Machabaos meditare.

I. Vt Garophilacium sedens Dominus immittentis duo minuta viduæ omnibus alijs oblationibus præposuerit, & Templo egressus, eius & Hierosolymæ totius euersionem prædixerit. Matth. 24. Marc. 12. 13. Luc. 21. *Pater noster. Aue Maria.*

II. Vt in monte Oliueti sedens de aduentus sui tempore à discipulis requisitus, longo sermone prædixerit & mala post se ventura, falsos scilicet prophetas, bella, famem, pestes, persecutiones atque post hæc precedentibus terribilibus signis,

se tandem in magna maiestate ad iudicium venturum; ad quem inopinatum aduentum vigilantia, sobrietate, oratione suos se parare docuit. Matth.24. Mar.13. Luc.17.18.21. *Pater noster. Aue Maria.*

III Vt, quo magis ad obseruanda prouocaret suos Dominus, duas parabolas de 10. Virginibus, vnam, quarum solum quinque prudentes, ad aduentum sponsi, alijs quinque fatuis exclusis, receptæ, alteram vero de distributis à Domino in seruos talentis subiunxerit. Matt.25. *Pater noster. Aue Maria.*

Oratio ad Deum.

CONsciẽtias nostras, quæsumus Domine visitando purifica, vt veniens Dominus noster Iesus Christus filius tuus cum omnibus sanctis in maiestate seculum per ignem iudicaturus, paratos nos inueniens ab æternæ damnationis sententia, securos secum ad perennem beatitudinem perducat: Per eũdem Christum Dominum nostrum. Amen.

Oratio ad SS. Machabaos.

O Inexpugnabiles Martyres Machabæi, qui portũ salutis deuicto Antiocho Tyranno vnanimi consilio, pariq́ue constantia alterutrum roborãtes intrastis, & dedicatam Deo mentem pro patrijs legibus, conflictu Martyrij eidem consecrastis: Sit nobis hæc passio vestra robur

robur fidei, virtus animi, restrictio scelerum, gratiæ augmentum, & post hanc, vitæ æternæ largitio, Per Christum Dominum nostrum. Amen.

IN SEPTIMA CAPITALI ECCLEsia S. Cumberti, meditare.

I. Vt modum iudicandi viuos & mortuos in nouissima die aperuerit Dominus separatione bonorum à malis habenda, illosque ad vitam æternam, hos vero in ignem æternum mittendos, Matt. 25. *Pater noster. Aue Maria.*

II. Vt hæc proloquente Domino Iudas cum Iudæis de tradendo eis Magistro 30. argenteis pactus sit potestate diabolo facta; post quæ cum dies prima azymorum adesset, Dominus misso Petro & Ioanne, Paschalem agnum vesperi Hierosolymis in domo, certo signo demonstranda, parari iussit, & cum 11. accumbens manducauit, Matth. 26. Marc. 14. Luc. 22. *Pater noster. Aue Maria.*

III. Post esum agni Dominum discipulorum pedes lauantem, Petro aliquantulum id recusante, in exemplum charitatis & humilitatis ac mysteriū puritatis sumpturis corporis & sanguinis sacramentum mox à se instituendum per necessarijs. Ioan. 13. *Pater noster. Aue Maria.*

Oratio ad Deum.

O Mitissime Domine Iesu Christe speculū humilitatis, qui lauisti pedes discipulorū tuorum, peto & obsecro Domine purga affectus nostros, vt vtro-

que

quepede, gemina scilicet charitate loti, ad te fontem vitæ æternæ securi accedamus, inq; finem dierum ab omnibus peccatorum maculis mundati, inimicos in mortis articulo, calcaneum nostrum obseruantes, procul à nobis te adiuuante abigentes vincamus. Qui cum Patre & spiritu sancto viuis & regnas Deus per omnia secula seculorum.

Oratio de S. Cuniberto.

DEus qui populo tuo æternæ salutis B. Cunibertum ministrum tribuisti, concede propitius; vt quem doctorem vitæ habuimus in terris, intercessorem quoque semper habere mereamur in cœlis. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Precatio in septimum psalmum Pœnitentialem pro dono Sapientiæ.

SPiritum nobis Domine sapiētiæ præsta, quo anima nostra indulgētiæ tuæ, pietatem & auxilium sæpius experta, inimicorum tentationibus & impugnationibus, quibus continuo impetitur & oppugnatur, sapiēter resistat: & hostium insidias, quæ illi assiduè struuntur, prudenter caueat: atque operum tuorum memoria, & æternæ fœlicitatis recordatione conso-

consolata, discat terrena despicere, æterna amare, & cælestium bonorum participatione semper gaudere.

Psalmus 142. Pænitentialis 7.

DOmine exaudi orationem meam, auribus percipe obsecrationem meam: in veritate tua, exaudi me in tua iustitia.

Et non intres in iudicium cum seruo tuo: quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens.

Quia persecutus est inimicus animam meam: humiliauit in terra vitam meam.

Collocauit me in obscuris sicut mortuos sæculi: & anxiatus est super me spiritus meus, in me turbatum est cor meum.

Memor fui dierum antiquorum, meditatus sum in omnibus operibus tuis: & in factis manuum tuarum meditabar.

Expandi manus meas ad te: anima mea sicut terra sine aqua tibi.

Velociter exaudi me Domine: defecit spiritus meus.

Non auertas faciem tuam à me: & similis ero descendentibus in lacum.

Auditam fac mihi mane misericordiã tuam: quia in te speraui.

Notam fac mihi viam, in qua ambulẽ: quia ad te leuaui animam meam.

Eripe

Eripe me de inimicis meis, Domine, ad te confugi: doce me facere volũtatem tuam, quia Deus meus es tu.

Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam: propter nomẽ tuum Domine viuificabis me in æquitate tua.

Educes de tribulatione animam meã: & in misericordia tua disperdes omnes inimicos meos.

Et perdes omnes qui tribulant animã meam: quoniam ego seruus tuus sum.

Gloria Patri, & Filio: & Spiritui sancto.

Antiphona. Ne reminiscaris Domine delicta nostra, vel parentum nostrorum: neque vindictam sumas de peccatis nostris.

Precatio contra accediam.

O Sempiterne Deus, qui creasti terminos terræ, nec conseruando deficis: qui das lasso virtutem, & his qui non sunt robur multiplicas: aufer à nobis omnem accediam, & torpẽtem spiritum excita, oscitantem conforta & tepẽtem inflamma: vt dignus pœnitentiæ fructus agere in lege tua, & via mandatorum tuorum ambulare, ac in omnibus iustificationibus tuis sine querela procedere valeamus. Et ne in pœnitentiæ operibus, legis

legis oseruatione, vel in aduersis fatigemur animis nostris deficientes: fac eum, qui talem aduersus se sustinuit à peccatoribus contradictionem semper recogitemus.

In exitu huius Templi reuertendo ad cathedralem è qua egressum fuit, 4. Templa in transitu sese offerunt visitanda, quarum intermedia via 7. Rosarium recitatur.

IN PRIMO QVOD OBVIAT Templo, S. Cordula, meditare.

I. Post agni typici comestionem ac pedum lotionem, suum corpus & sanguinem discipulis manducandum, instituentem Dominum, atque idem eis in posterum faciendum in sui memoriã præcipientem, vbi se à discipulorum vno tradẽdum cæteris perplexis Ioanni supra pectus suum recumbenti, Iudam secum in Paropsidem intingentem demonstrauit. Matth. 26. Mar. 14. Luc. 22. Ioan. 13 *Pater noster. Aue Maria.*

II. Secutam mox inter Apostolos de primatu contentionem, à Domino humilitatis præcepto sedatam, deindeque de suo abitu sermonem inferentem, ac nouum dilectionis mandatum suis commendantem, nec non omnes in ipsa nocte scandalum in se passuros, ac Petrum ter se negaturum, prædicentem. Matth. 26. Mar. 14. Luc. 22. Ioan 13. *Pater noster. Aue Maria.*

III. Mox ad mẹstorũ discipulorũ deiectos animos erigẽdos cõuersũ Dominũ, qui lõgo ac mellifluo sermo-

sermone idipsum attentauit, quo eodem eos contra imminentia præmunuit mala. Ioan. 15. & 16. *Pater noster. Aue Maria.*

Oratio ad Deum.

DOmine Iesu Christe, qui transiens de hoc mundo ad Patrem, postquã cœnasti, corpus & sanguinem tuum discipulis ob tui memoriam dedisti, & nobis sumendum reliquisti, tibique placuit, vt tuo refecti corpore & sanguine potati, essemus os de ossibus tuis, & caro de carne tua; obsecro per virtutem huius ineffabilis sacramenti, vt dignum me facias gratia tua, & tanta redemptione non frauder, quatenus tanti mysterij tua gratia particeps effectus, optata peccatorum venia obtenta, in fide spe & charitate proficiens in cœlesti mensa tibi conglutiner.

Oratio de S. Cordula.

INdulgentiam nobis B. Cordula Virgo & martyr imploret, quæ tibi grata extitit, & merito castitatis & tuę professione virtutis, per Christum Dominum nostrum. Amen.

IN SECVNDO QVOD OBVIAT Templo, S. Seruatij, meditare.

I. Oratione ad patrem habita suos omnes illi credituros commendantem Dominum quibus gestis, in hortum sibi familiarem orationis ergò ingres-

ingressus, angore animi ob imminentem mortem ter orans Cœlesti Patri aperuit, præ agonia sanguine madens, dein ab angelo cōfortatus, vltrò se hostibus capiēdum tradidit, Petrum à violentia cohibens. Matth.26.Mar.14.Luc.22.Ioan. 17.& 18. *Pater noster. Aue Maria.*

II. Osculo à Iuda traditum, à Iudæis captum ac vinctum, post Annam Caiphæ præsentatum Dominum, apud quem post acceptam in domo Annæ crudelem alapam, & audita falsa testimonia sed inidonea, tāquam blasphemus condemnatus & illusus est, quæ dum gesta sunt, Petrus ipsa nocte 3. Dominum negauit, ac Domino se respiciēte reatū agnoscēs, egressus foras amare fleuit. Matt. 26. Marc. 14. Luc. 22. Ioan. 18. *Pater noster. Aue Maria.*

III. Mane facto Dominum ad Pilatum ductum, quo viso Iudas ex desperatione laqueo se suspendens medius crepuit, proiectus prius in templo 30. argentis. Matt.27. *Pater noster. Aue Maria.*

Oratio ad Deum.

DOmine Iesu Christe, illis obsecro pietatis tuæ oculis, quibus tūnc Petrum respexisti, me miserum peccatorem frequēter respice, qui te toties prauis cogitationibus, locutionibus, operibus & negligentijs negaui, vt valeam defectus meos cognoscere, & inde pœnitere, veniamque ac gratiā apud te merear inuenire.

Oratio de S. Seruatio.

OMnipotens sempiterne Deus, qui es sanctorum tuorum splēdor mi-

 rabilis,

rabilis, quique B. Seruatiū confeſſorem tuum atque Pontificem, beatitudinis æternæ gloria ſublimaſti, concede propitius, vt cuius merita veneramur in terris, interceſſionis eius auxilio apud tuam miſericordiā muniamur in cœlis. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

IN TERTIO QVOD OBVIAT TEMplo S. Lupi, meditare.

I. Pilato præſentatum Dominum, ac de varijs à Iudæis accuſatum, quæ cum præſes parum probabilia inueniret, tanquam Galilæum ad Herodem Galileæ tetrarcham ipſum miſit, qui eum alba indutum veſte mox ad Pilatum remiſit, eidem ob reſpectum obſeruatum reconciliatus. Qui cum nil morte dignum in ipſo deprehēdere poſſet, ideoque varijs modis fruſtra tamen dimittere eum tentaret, tandem flagellatum, & ſpinis coronatum, lotis manibus poſt frequentē ratione Chriſti innocentiæ proteſtationem cū Iudæis crucifigendum tradidit. Matt. 27. Mar. 15. Luc. 23. Ioan. 18. & 19. *Pater noſter. Aue Maria.*

II. Ductum ad ſupplicium Dominum, crucemque ſuis geſtantem humeris, mulieribus ſequentibus ſe plorantibus, quas non ſe ſed ipſaſmet deplorare iuſſit, ad Caluariæ progrediens locum; vbi inter duos latrones crucifixus eſt; in qua pendens pro crucifixoribus orauit, dum milites veſtimenta ſua diuidentes ſibi ac illudentes cerneret quam plurimos conuitiantes. Quod idem cum vnus latronum faceret, ſocius eum reprehēdens ad Dominum conuerſus, paradiſum obtinuit à Chriſto, matre ſua ex cruce Ioanni commendata, quibus omnibus & ſingulis conſumma-

summatis, clamore valido in manus patris spiritum tradens circa horam nonam, varijs signis ostensis innocentiam eius contestantibus, mortuus est, cuius paulo post latere lancea aperto, sanguine simul & aqua inde profluente, honorificè à Ioseph & Nicodemo sepultus est, ac die altera principum sagacitate eius sepulchrum custodibus munitum. Matth. 27. Mar. 15 Luc. 23. Ioan. 19. *Pater noster. Aue Maria.*

III. Resurgentem Dominum, angelis mulieribus apparentibus, ad vngendum Dominum paratis & ad iter accinctis; quod lætum nuncium, cum discipulis nunciassent, Petro & Ioanne præ gaudio accurrentibus ad videndum sepulchrum, iterumque abeuntibus, cum Magdalena ibi persisteret, post angelorum collocutionem prima meruit à morte rediuiuum Dominum videre; ac post eam reliquæ, quibus in via Dominus occurrit. Cuius cum resurrectionem ex angelorum verbis custodes cognoscerent; pecunia à pontificibus corrupti furtiuè à discipulis sublatum Dominum mentiti sunt; Matth. 28. Mar. 16. Luc. 24. Ioan. 2. *Pater noster. Aue Maria.*

Oratio ad Deum.

DEus quem diligere & amare iustitia est, ineffabilis misericordiæ tuæ in nobis dona multiplica, vt qui fecisti nos in morte filij tui sperare quæ credimus, fac nos eodem resurgente peruenire quò tendimus.

(.·.)

Oratio ad S. Lupum.

ADesto Domine precibus nostris, quas in Sancti confessoris tui Lupi commemoratione deferimus, vt qui nostræ iustitiæ fidem non habemus, eius qui tibi placuit, meritis, & precibus adiuuemur. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

IN QVARTO QVOD OBVIAT TEMplo in gradibus B.V. Mariæ, meditare.

I. Eodem die duobus discipulis in Emaus euntibus in peregrini specie iunctum Dominum, & post diuturnam collocutionem in panis fractione ab ijs agnitum. Quibus in Hierusalem eadem vespera reuersis, dum apud 11. narrassent à se visum Dominum, in medio illorum ianuis clausis pariter adfuit, videndum ac palpandum se omnibus præbens, fidemque edendo cum ipsis confirmans potestate remittendi, retinendique peccata eis facta. Marc. 16. Luc. 24. *Pater noster. Aue Maria.*

II. Octauo post die rursum clausis ianuis propter Thomæ prius absentis incredulitatem, imprecata pace introgressum Dominum, atque dehinc à 7 discipulis in mari Tiberiadis piscantibus, cum eius incogniti licet iussu magnam piscium multitudinem conclusissent, tandem agnitum. vbi & post communem cum eis mensam Petro suas oues pascendas commisit, vtque se sequeretur, nulla de Ioanne habita cura, præcepit. Marc. 16. Luc. 24. Ioan. 20. 21. *Pater noster. Aue Maria.*

III. Visum vltimo Dominum à suis in monte

quem

quem eis olim in Galilæa constituerat, vbi Euangelizandi, ac Baptizandi munus, collata etiam signorum potestate, eis iniunxit, ac post scripturarum expositionem, Sanctique Spiritus promissionem (quem Hierosolymis eos exspectare iussit) cum suos foras in Bethaniam eduxisset è mõte Oliueti in cœlum ascendit, ad dexteram patris nunc sedens ad sonitum nouissimæ tubæ, Iudex viuorum & mortuorũ reuersurus. Matt. 28. Marc. 6. *Pater nõster, Aue Maria.*

Oratio ad Deum.

DOmine Iesu Christe, qui ruptis vinculis mortis, glorificato corpore ad cœlum ascendisti, obsecro te per triumphalem hanc victoriã tuam, da mihi vt à vitijs & à morte animę resurgẽs, in virtutibus semper floream; & in nouitate vitæ ambulem, & quæ sursum sunt non quæ super terram per tuæ claritatis virtutem sapiam, & quatenus tecum æternaliter gaudeam die vniuersalis resurrectionis in carne mea resurgam ad gloriam. O dulcor vnice, qui venisti redimere perditos, noli damnare redemptos, & qui tibi causa fuimus huius peregrinationis tuæ, ne nos obsecro perdas in illa die. Amen.

Oratio de B. Virgine Maria.

HAEc est præclarum vas spiritus Paracleti, hæc est gloriosa ciuitas Dei, hæc est mulier virtutis, quæ contri-

uit caput ſerpentis. Hæc eſt ſole ſpecioſior, Luna pulchrior, aurora rutilantior, ſtellis præclarior. Hanc peccatores deuotè adeamus: Rea pectora tundamus dicentes: ô clemens, ô pia, ô dulcis cœli regina, lætare Alleluia, Quia quem meruiſti portare Alleluia, Reſurrexit ſicut dixit Alleluia. Ora pro nobis Deum Alleluia. O virgo Maria Dei genitrix gratioſa omnium deſolatorum ad te clamantium conſolatrix vera: per illud magnum gaudium quo conſolata es, quando cognouiſti Dominum Ieſum die tertia à mortuis impaſſibilem reſurrexiſſe; ſis conſolatrix animæ meæ; & apud eundem tuum & Dei natum vnigenitum, in die nouiſſimo, quando cum anima & corpore ero reſurrecturus, & de ſingulis meis factis rationem redditurus, me digneris iuuare: quod perpetuæ damnationis ſententiam, per te pia mater & virgo valeam euadere, & cum electis Dei omnibus ad æterna gaudia fœliciter peruenire. Amen.

Peregrinatione hoc in Templo peracta, Peregrinans eam toti cœleſti Hieruſalem oblaturus, id faciat in ſumma AEde vbi eam orſus eſt; Quam adiēs Lytanias Sanctorum Patronorum

Colo-

Coloniensium vnà cum precibus consuetis & collectis omniuarijs temporibus personis & necessitatibus ad lectoris libitum accommodatis, pro Colophone nec nostri immemor recitet, & domum in pace concedat.

KYrieeleison.
Christeeleison.
Kyrieeleison.
Christe audi nos.
Christe exaudi nos.
Pater de cælis Deus. Miserere nobis.
Fili Redemptor mundi Deus. Miserere nobis.
Spiritus sancte Deus. Miserere nobis.
Sancta Trinitas vnus Deus. Miserere nobis.

S.Maria.
S.Dei genitrix.
S.Virgo Virginum.
S.Michael.
S.Gabriel.
S.Raphael.
} Ora pro nobis.

Omnes sancti Beatorum spirituum ordines. Orate pro nobis.

S.Ioannes Baptista.
S.Ioseph.
S.Ioachim.
} Ora pro nobis.

S.Hypolite.
S.Panthaleon.
S.Maurine.
S.Gregori Spoletane.
S.Quirine.
S. Pauline. } Ora pro nobis.
S.Albine.
S.Albane.
S.Euergisle.
S.Agilolphe.
S.Patrocle.

S.Achati cum socijs tuis.
S.Mauriti cum socijs tuis.
S.Gereon cum socijs tuis.
S.Gregori cum socijs Mauris.
S.Fœlix & Nabor. } Orate pro nobis.
S.Fœlix & Audacte.
S.Corneli & Cypriane.
SS.Euualdi.
SS.Machabæi.
Omnes S.Martyres.

S.Syluester.
S.Martine.
S.Nicolae.
S.Gregori.
S.Ambrosi. } Ora pro nobis.
S.Augustine.
S.Hieronyme.
S.Materne.
S.Seuerine.

S.Cuniberte.
S.Hereberte.
S.Anno.
S.Seruati.
S.Hugo.
S.Antoni.
S.Benedicte. Ora pro nobis.
S.Francisce.
S.Bernharde.
S.Dominice.
S.Bruno.
S.Roche.
Omnes S.Confessores. Orate pro nobis.
S.Anna.
S Maria Magdalena.
S.Fœlicitas.
S.Helena.
S.Elisabetha.
S.Catharina.
S.Barbara.
S.Agatha. Ora pro nobis.
S.Agnes.
S.Lucia.
S.Cæcilia.
S.Margaretha.
S.Gertrudis.
S.Columba.
S.Sigillindis.
S.Vrsula cū sodalib⁹ tuis. Orate ꝓ nobis.
S.Cordula. Ora pro nobis.

Omnes

Omnes S. Virgines & continentes. Orate pro nobis.
Omnes S. Patroni vrbis & Diœcœsis Coloniensis. Orate pro nobis.
Oēs Sancti & Sāctę Dei. Orate pro nobis.
Propitius esto. Parce nobis Domine.
Propitius esto. Libera nos Domine.

Ab omni malo.
Ab omni peccato.
Ab ira tua.
A subitanea & improuisa morte.
Ab insidijs diaboli.
Ab ira, odio & omni mala volūtate.
A spiritu fornicationis.
A concupiscentia iniqua.
Ab immunditia mentis & corporis.
A Spiritu superbiæ.
A fame, peste, hæresi, schismate & clade.
A iugo Turcico & potestate hæreticorum.
A fulgure & tempestate.
A morte perpetua.
Per mysterium S. Incarnationis tuæ.
Per Natiuitatem tuam.
Per innocentissimam totā vitā tuam.
Per passionem & crucem tuam.
Per mortem & sepulturam tuam.
Per gloriosam resurrectionem tuā.
Per admirabilem ascensionem tuā.

Libera nos Domine.

Per

Per aduentum spiritus Paracleti. Libera nos Domine.
In die Iudicij. Libera nos Domine.
Peccatores. Te rogamus audi nos.
Vt nobis parcas. Te rogamus audi nos.
Vt nobis indulgeas. Te rogamus audi nos.
Vt misericordia & pietas tua nos custodiat. Te rogamus audi nos.
Vt spaciū pœnitentiæ & emendationē vitæ nobis dones. Te rogamus audi nos.
Vt gratiā S. Spiritus cordibus nostris infundere digneris. Te rogamus audi nos.
Vt pacem & concordiam nobis dones. Te rogamus audi nos.
Vt Ecclesiam tuam regere & conseruare digneris. Te rogamus audi nos.
Vt Domnum Apostolicum sanctissimū patrem nostrum N. Et omnes Ecclesiasticos ordines in sancta religione conseruare digneris. Te rogamus audi nos.
Vt Imperatori nostro longitudinem dierum & victoriam concedas. Te rogamus audi nos.
Vt Regibus & Principibus Christianis pacem & veram concordiam largiri digneris. Te rogamus audi nos.
Vt Antistitem nostrum N. vna cum clero & po-

& populo sibi commisso in sancta religione conseruare digneris. Te rogamus audi nos.

Vt Vrbem hanc, & Diocœsin, ac omnes inhabitantes in ea protegere & in tua pace fide ac sinceritate perpetuo cõseruare digneris. Te rogamus audi nos.

Vt inimicos S. Ecclesiæ humiliare digneris. Te rogamus audi nos.

Vt cunctum populum Christianum pretioso sanguine redemptum conseruare digneris. Te rogamus audi nos.

Vt nosmetipsos in tuo S. Seruitio confortare digneris. Te rogamus audi nos.

Vt mentes nostras ad cœlestia desideria erigas. Te rogamus audi nos.

Vt omnibus benefactoribus nostris sempiterna bona retribuas. Te rogamus audi nos.

Vt afflictos & captiuos liberare digneris. Te rogamus audi nos.

Vt Fratres nostros absentes in te sperãtes saluos facias. Te rogamus audi nos.

Vt fructus terræ dare & conseruare digneris. Te rogamus audi nos.

Vt omnibus fidelibus defunctis requiem æternam donare digneris. Te rogamus audi nos.

Vt nos exaudire digneris. Te rogamus audi nos.

Agnus Dei qui tollis peccata mundi. Parce nobis Domine.
Agnus Dei qui tollis peccata mundi. Libera nos Domine.
Agnus Dei qui tollis peccata mundi. Dona nobis pacem.
Kyrieeleiſon. Chriſteeleiſon. Kyrieeleiſon.
Chriſte audi nos.
Chriſte exaudi nos. Pater noſter. Aue Maria.
℣. Et ne nos inducas in tentationem.
℟. Sed libera nos à malo.
℣. Sacerdotes tui induantur Iuſtitiam.
℟. Et ſancti tui exultent.
℣. Pro paſtoribus noſtris.
℟. Dominus conſeruet eos, & viuificet eos, & beatos faciat eos in terra, & nõ tradat eos in animas inimicorum eorum.
℣. Domine ſaluos fac Reges.
℟. Et exaudi nos in die qua inuocauerimus te.
℣. Saluum fac populum tuũ Domine, & benedic hæreditati tuæ.
℟. Et rege eos & extolle illos vſque in æternum.
℣. Pro peccatis & negligentijs noſtris.
℟. Domine ne memineris iniquitatum noſtrarum antiquarum, cito anticipēt nos

nos misericordiæ, tuæ quia pauperes facti sumus nimis.

℣. Adiuua nos Deus salutaris noster.

℟. Et propter gloriam nominis tui Domine libera nos, & propitius esto peccatis nostris, propter nomen tuum.

℣. Pro fratribus nostris absentibus.

℟. Saluos fac seruos tuos Deus meus sperantes in te.

℣. Pro omnibus nobis bona facientibus.

℟. Retribuere dignare Domine omnibus nobis bona facientibus propter nomen sanctum tuum vitam æternam.

℣. Pro cunctis fidelibus defunctis.

℟. Requiem æternam dona eis Domine, & lux perpetua luceat eis.

℣. Domine exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Domine Deus virtutum conuerte nos.

℟. Et ostende faciem tuam & salui erimus.

℣. Domine exaudi orationem meam,

℟. Et clamor meus ad te veniat.

Oremus.

Oremus.

DEus qui culpa offenderis, pœnitentia placaris, preces populi tui supplicantis propitius respice: & flagella iracundiæ tuæ, quæ pro peccatis nostris meremur auerte.

Deus cui proprium est misereri semper & parcere: suscipe deprecationem nostram, vt quos delictorũ catena constringit, miseratio tuæ pietatis absoluat.

Ineffabilem nobis Domine misericordiã clementer ostende, vt simul nos & à peccatis omnib⁹ exuas, & à pœnis & à tribulationibus quas pro his meremur eripias, & pacem tuam nostris concede temporibus, & nos famulos tuos ab omni aduersitate custodi, per Dominum nostrum &c.

Sequuntur orationes, diuersis personis & necessitatibus ad lectoris placitum accommodatæ.

DEus infinitæ bonitatis, cuius misericordiæ non est numerus, quique omnipotentiam tuam parcendo maximè & miserando manifestas, multiplica super nos misericordiam tuam, vt qui gloriam tuam omnibus in Christo renatis reuelasti, quatenus Ecclesia tua toto orbe

tui

diffusa, stabili fide in cõfessione nominis tui perseueret, misericordiæ tuæ opera custodias.

Pro recuperatione terræ sanctæ.

DEVS qui ad exhibenda nostræ redemptionis mysteria, terram promissionis elegisti, libera eam quæsumus ab instantia paganorum, & restitue eam cultui Christiano, vt gentilium incredulitate confusa populus Christianus in te confidens, de tuæ virtutis potentia glorietur.

Pro summo Pontifice.

OMNIPOTENS sempiterne Deus, cuius iudicio vniuersa fundantur: respice propitius ad preces nostras, & electum nobis Antistitem N. tua pietate cõserua: vt Christiana plebs, quæ te gubernatur authore: sub tanto Pontifice, credulitatis suæ meritis augeatur.

Pro loci Episcopo.

OMNIPOTENS sempiterne Deus, qui facis mirabilia magna solus, prætende super famulum tuum N. & super cunctas congregationes sibi commissas spiritum gratię salutaris, & vt in veritate tibi complaceant, perpetuum eis rorem tuę benedictionis infunde.

Pro vniuersis Ecclesiæ ordinibus.

OMNIPOTENS sempiterne Deus,

cuius spiritu totum corpus regitur & sanctificatur, exaudi nos pro vniuersis ordinib⁹ supplicãtes, vt gratiæ tuę munere, ab omnib⁹ tibi gradibus fideliter seruiatur.

Pro Romano Imperatore.

DEVS Regnorum omnium, & Christiani maximè Protector imperij: da famulo tuo Imperatori nostro N. triumphum virtutis tuæ sciẽter excolere: vt qui tua cõstitutione est princeps, tuo semper munere sit potens.

Oratio pro cunctis Principibus Christianis.

OMNIPOTENS sempiterne Deus, in cuius arbitrio Regnorum omnium iura consistunt, protege Christianorum vbiq; Rectores, vt eorũ votiua prosperitas, pax tuorum possit esse famulorum.

Pro Prælato & Congregatione.

OMNIPOTENS sempiterne Deus, qui facis mirabilia magna solus, prætende super famulum tuum N. & super congregationem ipsi commissam, spiritum gratiæ salutaris: & vt in veritate tibi placeat, perpetuũ ei rorẽ tuæ benedictionis infunde.

Pro stabilitate Loci.

OMNIPOTENS sempiterne Deus, ædificator & custos Hierusalem ciuitatis supernæ, custodi locum hunc cum habitatori-

tatoribus suis vt sit in eis domicilium incolumitatis & pacis.

Pro conuersione infidelium.

OMNIPOTENS sempiterne Deus, qui nō mortem peccatorum, sed vitam semper inquiris, suscipe propitius orationem nostram, & libera paganos ab idolorum cultura, & ad gloriam nominis tui, Ecclesiæ tuæ aggrega.

Pro conuersione Hæreticorum & Schismaticorum.

OMNIPOTENS sempiterne DEVS, qui saluas omnes, & neminem vis perire, respice ad animas diabolica fraude deceptas, vt omni hæretica prauitate deposita, errātium corda resipiscant, & ad veritatis tuæ vnitatem redeant.

Pro conuersione Iudæorum.

OMNIPOTENS sempiterne DEVS, qui etiā Iudaicā perfidiā, tua misericordia non repellis, exaudi preces nostras, quas pro illius populi obcæcatione amouendę deferimus, vt agnita veritatis tuæ luce à suis tenebris eruantur.

Pro Commendatis.

PRAETENDE Domine famulis & famulabus tuis dexteram cœlestis auxilij, vt te toto corde perquirāt, & quæ dignè postulant, assequantur.

Pro Deuotis amicis.

DEVS qui charitatis dona per gratiam S. Spiritus tuorum cordibus fidelium infudisti, da famulis & famulabus tuis, pro quibus tuam deprecamur clementiam, salutem mentis & corporis, vt te tota virtute diligant, & quæ tibi placita sunt, tota dilectione perficiant.

Pro vno speciali.

DEVS qui iustificas impium, & non vis mortem peccatorum, maiestatem tuã suppliciter deprecamur, vt famulum tuũ, N. de tua misericordia cõfidentẽ, cœlesti protegas benignus auxilio, & assidua protectione cõserues, vt tibi iugiter famuletur, & nullis tentationibus à te separetur.

Pro inimicis.

DEVS pacis charitatisque amator & custos, da omnibus inimicis nostris, pacem charitatemque veram, cunctorumq; eis remissionem tribue peccatorum: nosque ab eorum insidijs potenter eripe.

Pro pace.

DEVS à quo sancta desideria, recta cõsilia & iusta sunt opera, da seruis tuis illã quam mundus dare non potest pacem; vt & corda nostra mandatis tuis dedita & hostium sublata formidine, tempora sint tua protectione tranquilla.

Contra

Contra Tribulationes.

DEVS qui contritorum non despicis gemitum, & mœrentium non spernis affectum, adesto precibus nostris, quas tibi pro tribulatione nostra effundimus, easque clementer suscipiens tribue, vt quicquid contra nos diabolicę atque humanę moliuntur aduersitates ad nihilum redigatur, vt nullis aduersitatibus læsi, de omni tribulatione erepti, læti in Ecclesia tua tibi gratias referamus.

Contra hostes Ecclesiæ.

OMNIPOTENS æterne Deus, in cuius manu sunt omnium potestates & omnium iura regnorum, respice in auxilium Christianorum, vt gentes paganorum & hæreticorum, quæ in sua feritate confidunt, dexteræ tuæ potentia conterantur.

Tempore belli.

OMNIPOTENS & misericors Deus, à bellorum nos quæsumus turbine fac quietes, quia nobis bona cuncta præstabis, si pacem dederis mentis & corporis.

Tempore famis & pestis.

DA nobis quæsumus Domine piæ supplicationis effectum & pestilentiam famemque propitiatus auerte; vt mortaliũ corda cognoscant, & te indignante talia flagella prodire, & te miserante cessare.

Contra Tempestates.

A domo tua quæsumus Domine spiritales nequitiæ repellantur, & aërearum discedat malignitas tempestatum.

Ad Pluuiam petendam.

DEVS in quo viuimus mouemur & sumus, pluuiam nobis tribue congruẽtem, vt præsentibus subsidijs sufficienter adiuti, sempiterna fiducialius appetamus.

Ad serenitatem postulandam.

AD te nos Domine clamantes exaudi, & aëris serenitatem nobis tribue supplicantibus; Vt qui iustè pro peccatis nostris affligimur, præueniente tua misericordia clementiam sentiamus.

Pro itinerantibus.

ADESTO Domine supplicationibus nostris, & viam famulorum tuorum in salutis tuæ prosperitate dispone, vt inter omnes viæ & vitæ huius varietates tuo semper protegantur auxilio.

Pro infirmantibus.

OMNIPOTENS sempiterne Deus, salus æterna credentium, exaudi nos pro infirmis famulis tuis, pro quibus misericordiæ tuę imploramus auxilium, vt reddita sibi sanitate gratiarum tibi in Ecclesia tua referant actiones.

Pro

Pro constituto in Carceribus.

DEVS qui Beatum Petrum à vinculis absolutum, illæsum abire fecisti: famuli tui in captiuitate positi vincula absolue, & eũ ipsius meritis illæsum abire cõcede.

Pro charitate.

DEVS largitor pacis & amator charitatis, da famulis tuis veram cum tua volũtate concordiam, vt ab omnibus quæ nos pulsant tentationibus liberemur.

Pro Castitate.

VRE igne S. Spiritus renes nostros, & cor nostrum Domine, vt tibi casto corpore seruiamus, & mundo corde placeamus.

Pro Patientia.

DEVS qui vnigeniti tui patientia, antiqui hostis contriuisti superbiam, da nobis quæsum⁹ quæ idẽ piè pro nobis pertulit dignè recolere, sicq; eius exẽplo nobis cũcta aduersantia æquanimiter tolerare.

Ad obtinendam gratiam S. Spiritus.

DEVS cui omne cor patet, & omnis voluntas loquitur, & quẽ nullum latet secretum, purifica per infusionẽ S. Spiritus cogitationes cordis nostri, vt te perfectè diligere & dignè laudare mereamur.

Pro constitutis in Religione.

DEVS qui familiam hanc, in hoc loco

ſub ſancta profeſſione degentem de tempeſtate huius ſeculi eruiſti, & ad portum monaſterij & quietis venire feciſti, pectoribus eorum quæſumus purificandis illabere, & gratiam in qua perſeuerent infunde, quatenus protectionis tuæ muniti præſidio, quod te donante promiſerunt te adiuuante adimpleant, vt ſuę profeſſionis executores effecti, atque ad ſupernæ vocationis deſiderium accenſi, ea quæ perſeuerãtibus in te dignatus es promittere, valeant ſine fine percipere.

Pro Coniugatis.

PROPITIARE Domine ſupplicationibus noſtris & inſtitutis tuis, quibus propagationem humani generis ordinaſti, benignus aſſiſte, vt quod tę authore coniunctum eſt, te auxiliante non ſeparetur.

Contra Perſecutores.

HOSTIVM noſtrorũ quæſumus Domine elide ſuperbiam, & eorum contumaciam dexteræ tuæ virtute proſterne.

Pro tentatis & afflictis.

DEVS qui iuſtificas impium & non vis mortem peccatorum, maieſtatem tuam ſuppliciter deprecamur, vt famulos tuos de tua miſericordia confidentes, cœleſti protegas benignus auxilio, & aſſidua protectio-

tectione conserues, vt tibi iugiter famulentur & nullis tentationibus à te separentur.

Pro remissione peccatorum.

EXAVDI quæsumus Domine supplicum preces; & confidentium tibi parce peccatis, vt pariter nobis indulgentiam tribuas benignus & pacem.

Pro tollendo Scismate.

DEVS qui errata corrigis, & dispersã congregas, & congregata conseruas: quæsumus super populum tuũ N. tuæ vnionis gratiam clementer infunde, vt diuisione reiecta, vero pastori Ecclesiæ tuæ se vniens, tibi digne valeat famulari.

Pro tollendis omnibus malis.

OMNIPOTENS sempiterne DEVS, mœstorum consolatio, laborantium fortitudo, perueniant ad te preces de quacũque tribulatione clamantium, vt omnes sibi in necessitatibus suis misericordiam tuam gaudeant adfuisse.

Pro seipso.

SVPPLICITER te Deus Pater omnipotens, qui es creator omnium rerum deprecor, vt dum me famulum tuum, corã omnipotentia maiestatis tuæ grauiter deliquisse confiteor, manum misericordiæ tuæ mihi porrigas, quatenus dum ego hãc

precationem pro peccatis meis offero, quod nequiter admisi tu clementer digneris absoluere.

Pro vno recenter defuncto.

DA nobis Domine vt animā famuli tui, quam de seculi eduxisti laborioso certamine sanctorum cætui tribuas esse consortem.

Pro Patre & Matre defunctis.

DEVS qui nos patrem & matrē honorare præcepisti, miserere clementer animabus patris & matris meæ, eorumque peccata dimittē, neque cum illis in æternę claritatis gaudio constitue.

Pro Anniuersarijs.

DEVS indulgentiarum Domine da animabus famulorum tuorum, quorū anniuersarium depositionis diem commemoramus refrigerij sedem, quietis beatitudinem, & luminis claritatem.

Pro fratribus Amicis & cognatis.

INCLINA Domine aurem tuā ad preces nostras, quibus misericordiā tuā supplices deprecamur, vt animas famulorum & famularū tuarū, quas de hoc seculo migrare iussisti, in pacis ac lucis regione constituas, & sanctorum tuorum iubeas esse consortes.

Pro

Pro Benefactoribus.

OMNIPOTENS sempiterne Deus, cui nũquam sine spe misericordiæ supplicatur, propitiare animabus famulorũ & famularũ tuarum, vt qui de hac vita in tui nominis cõfessione discesserunt, Sanctorum tuorum numero facias aggregari.

Pro carentibus specialibus suffragijs.

DEVS cuius miseratione animæ fidelium requiescunt, famulis & famulabus tuis omnibus hic & vbique in Christo quiescentibus, da propitius veniam peccatorum, vt à cunctis reatibus absoluti, tecum sine fine lætentur.

Pro cunctis fidelibus defunctis.

FIDELIVM Deus omnium Conditor & Redemptor, animabus famulorũ, famularumque tuarum remissionem cũctorum tribue peccatorum, vt indulgentiam quam semper optauerunt pijs supplicationibus consequantur.

Pro viuis & defunctis.

PIETATE tua quæsumus Domine nostrorũ solue vincula delictorum, & intercedẽte Beata & gloriosa semper Virgine Dei genitrice Maria, cũ omnib' Sãctis tuis Domnũ Apostolicũ, Põtifices & prælatos, ac oẽs cõgregationes illis cõmissas,

Impe-

Imperatoré, Reges, & principes nostros, & omnem populum Christianum, & nos famulos tuos, atq; locum hunc, & omnia loca nostra in omni sanctitate custodi, omnesq; affinitate societate ac familiaritate nobis coniunctos, & nos à vitijs purga, virtutibus illustra: pacem & saluté nobis tribue, hostes visibiles & inuisibiles remoue, carnalia desideria repelle, aeré salubré indulge, amicis & inimicis nostris, & nobis veram charitatem largire, & omnibus fidelibus tuis viuis & defunctis, in terra viuentium vitam & requiem æternam concede.

Pro gratiarum actione.

DEVS cuius misericordiæ non est numerus, & bonitatis infinit' est thesaurus, pijssimæ maiestati tuæ pro collatis donis gratias agimus, tuam semper clementiam exorantes, vt qui petentibus postulata concedis, eosdem nó deserens ad præmia futura disponas.

SEQVITVR NVNC PER TOTIVS ANNI CIRCVLVM DE singulis Dominicis & præcipuis Festis piarum precationum Cursus Calendario Coloniensi coaptatus, quatenus pio Lectori nunquam non de tempore orandi materia subministretur.

In Fe-

In Festo Circumcisionis Domini, quod in Calendas Ianuarias sub auspicio noui anni currit. Oratio.

DOmine Iesu Christe, quantoquidē pacis bonum tātum est, vt in rebus etiam terrenis atque mortalibus nihil eo gratiùs soleat audiri, nihil desiderabiliùs cócupisci, nihilq; possit inueniri melius; concede propitius, vt nouum hunc annū cum orbi vniuerso tum Ecclesiæ Catholicæ, fœlicem esse concedas, quatenus vt eiusdem anni principium, progressus atq; exitus, verā animi corporisq; incolumitatem omnibus adferat; prēsta quęsumus, vt pacem in eo publicam experiamur.

In festo Epiphaniæ. Oratio.

DEVS illuminator omnium gentium, da populis tuis perpetua pace gaudere, & illud lumen splendidū infunde cordibus nostris, quod trium Magorum mentibus aspirasti Dominū nostrum Iesum Christum filium tuum.

Dominica intra octauam Epiphaniæ. Oratio.

VOTA quæsumus Domine supplicantis populi cœlesti pietate prosequere, vt & quæ agenda sunt videant, & adimplenda quæ viderint conualescant.

Domi-

Dominica 1. post octauam Epiphaniæ. Oratio.

OMNIPOTENS sempiterne Deus, qui cœlestia simul & terrena mõderaris, supplicationes populi tui clementer exaudi, & pacem tuam nostris cõcede temporibus.

In Festo Nominis Iesu. Oratio.

DEVS qui gloriosissimum nomen Iesu Christi fili tui Domini nostri fecisti fidelibus summo suauitatis affectu amabile, & malignis spiritibus tremendũ ac terribile. Concede propitius, vt omnes qui hoc nomen Iesu deuotè venerãtur in terris, S. consolationis dulcedinẽ in præsenti percipiant, & in futuro gaudiũ exultationis & interminabilis iubilationis obtineant.

In festo S. Antonij Abbatis, Oratio.

DEVS qui cõcedis obtentu B. Antonij Abbatis morbidũ ignẽ extingui, & membris ægris refrigeria præstari, fac nos propitius ipsius meritis, à gehẽnę ignis incendijs liberatos, integros mẽte & corpore tibi fœliciter in gloria præsentari.

In Festo S. Sebastiani. Oratio.

DEVS qui B. Sebastianum Martyrem tuũ virtute cõstantiæ in passione roborasti, ex eius nobis imitatione tribue pro

amore

amore tuo prospera mundi despicere, & nulla eius aduersa formidare.

In Festo S. Vincentij Martyris. Oratio.

ADESTO quæsumus Domine supplicationib' nostris: vt qui ex iniquitate nostra reos nos esse cognoscimus, B. Vincẽtij Martyris tui intercessione liberemur.

In Festo S. Agnetis. Oratio.

OMNIPOTENS sempiterne DEVS, qui infirma mũdi eligis, vt fortia quæque cõfundas, cõcede propitius, vt qui B. Agnæ Martyris tuæ solennia colimus, eius apud te patrocinia sentiamus.

Dominica 2. post octauam Epiphaniæ. Oratio.

OMNIPOTENS sempiterne Deus, infirmitatem nostram propitius respice, atque ad protegendum nos dexteram tuæ Maiestatis extende.

In Festo conuersionis S. Pauli. Oratio.

DOMINE Iesu Christe, imploramus D. Clementiã tuã pro sæuis Ecclesiæ persecutoribus, alijsque in peccatis obstinatis hominibus, qui Christum in membris suis fidelibus ac lectissima sponsa Ecclesia, crudeliter hodie persequuntur, vt è Saulis Pauli, ex persecutoribus, fidei propugnatores fiant, & vel inuiti ad saniorẽ mentem redeant.

Domi-

Dominica 3. post octauam Epiphaniæ.

Oratio.

DEVS qui nos in tantis periculis constitutos, pro humana scis fragilatione nõ posse subsistere, da nobis salutem mentis & corporis, vt ea quæ pro peccatis nostris patimur te adiuuante viuamus.

In Festo Purificationis B. V. Mariæ.

Oratio.

PETIMVS nobis abs te Domine Iesu Christe intercedente sancta genitrice tua gratiam dari, vt spiritus sancti illustratione magis ac magis illuminati, omni vitiorum caligine careamus, nobisque tu lumẽ sis verè illuminans, per quem purificato mentis oculo, vere diuina cognoscamus, & reuerenter sacra tractemus ac veneremur mysteria.

Dominica 4. post octauam Epiphaniæ.

Oratio.

FAMILIAM tuam quęsumus Domine cõtinua pietate custodi, vt quæ in sola spe gratiæ cœlestis innitimur, tua semper protectione muniamur.

Dominica 5. post octauam Epiphaniæ.

Oratio.

CONSERVA populum tuum Deus, & tuo nomini fac deuotũ, vt diuinis subiectus officijs & temporalia pariter & æterna dona percipiat.

In Fe-

In Festo S. Agathæ. Oratio.

OMNIPOTENS sempiterne Deus, in cuius nomine gloriosa virgo & Martyr Agatha multorum genera tormentorum superauit, te suppliciter exoramus, vt eius interuētu cuncta pericula vincamus, ipsamq; in necessitatibus nostris adiutricem cœlestem sentiamus.

Dominica Septuagesimæ. Oratio.

DOMINE sancte pater, vt velimus, possimus ac sciamus nos ad S. Ecclesiæ institutum, quo ab hac Dominica, alleluia tollitur, & populo Christiano ad pascha vsq; luctus indicitur, accommodare, præsta quæsumus, vt miserandum peccati effectum, & graues Israelitarum calamitates nobis ob oculos ponentes, ad grauioris pœnitentiæ officia nos mutuo excitemur.

In Festo S. Valentini. Oratio.

PRAESTA quęsumus omnipotens Deus, vt qui Beati Valentini Martyris tui natalitia colimus, à cunctis malis imminentibus, eius intercessione liberemur.

Dominica Sexagesimæ. Oratio.

DEVS qui conspicis, quia ex nulla nostra actione confidimus, concede propitius, vt contra aduersa omnia Doctoris gētium protectione muniamur.

Dominica Quinquagesimæ. Oratio.

PRECES nostras quæsumus Domine clemēter exaudi; atq; à peccatorum vinculis absolutos ab omni nos aduersitate custodi.

In Festo Cathedræ S. Petri. Oratio.

DEVS qui Apostolo tuo Petro collatis clauibus regni cœlestis, animas ligandi atque soluendi Pontificium tradidisti: cōcede vt intercessionis eius auxilio à peccatorum nostrorum nexibus liberemur.

In die Cinerum. Oratio.

CONCEDE nobis quæsumus omnipotēs Deus præsidia Christianæ militiæ, sacris inchoare ieiunijs, vt contra spirituales nequitias pugnaturi, continentiæ muniamur auxilijs, quatenus dies istos, corporibus salubres & animæ medicinales, cū Dei adiutorio sanctè & spiritualiter celebremus.

In Festo S. Matthiæ Apostoli. Oratio.

DEVS qui beatum Matthiam Apostolorum tuorum collegio sociasti, tribue quæsumus, vt eius interuentione, tuæ circa nos pietatis semper viscera sentiamus.

Dominica 1. Quadragesimæ.
Oratio.

OMNIPOTENS sempiterne Deus, qui Ecclesiam tuā annua quadragesimali obseruantia purificas, præsta familiæ tuæ, vt quod à te obtinere abstinendo nititur, hoc bonis operibus exequatur.

Dominica 2 Quadragesimæ. Oratio.

DEVS qui conspicis omni nos virtute destitui, interius exteriusque custodi, vt & ab omnibus aduersitatibus muniamur in corpore, & à prauis cogitationibus mundemur in mente. *Domi-*

Dominica 3. Quadragesimæ. Oratio.

QVAESVMVS omnipotens Deus, vota humilium respice, atque ad defensionem nostram dexteram tuæ Maiestatis extende.

In Festo S. Gregorij. Oratio.

DEVS qui animæ famuli tui Gregorij æternę beatitudinis prĕmia cōtulisti, concede propitius, vt qui peccatorū nostrorū pōdere prĕmimur, eius apud te precibus adiuuemur.

In Festo S. Hereberti. Oratio.

DA quæsumus omnipotens Deus, vt Beati Hereberti confessoris tui atque pontificis veneranda solennitas, & deuotionem nobis augeat & salutem.

In Festo S. Gertrudis. Oratio.

PIETATEM tuā mitissime Deus humiliter imploramus, vt sicut B. Virgini Gertrudi castitaté mentis & corporis misericorditer contulisti, ita nobis eius interuētu propitiatus vtriusque largiri digneris puritatem.

Dominica 4. Quadragesimæ. Oratio.

CONCEDE quęsumus omnipotēs Deus, vt qui ex merito nostræ actionis affligimur, tuæ gratiæ consolatione respiremus.

In Festo S. Iosephi. Oratio.

DA nobis Domine B. Iosephi sponsi Genitricis Vnigeniti tui solemnitatibus gloriari, vt eius semper & patrocinio subleuemur, & fidem congrua deuotione sectemur.

In Festo S. Benedicti Oratio.

OMNIPOTENS sempiterne Deus, qui

hodierna die è carnis eductum ergastulo B. Benedictũ Abbatẽ in cœlũ sublimasti, cócede quæsumus eius festũ celebrãtibus famulis tuis cunctorũ veniã peccatorum, vt qui exultantibus animis, eius claritati cõgaudent, ipso apud te interueniente, sociẽtur & meritis.

Dominica 5. Quadragesimæ. Oratio.

DOMINE Iesu Christe, da nobis hoc maximè tempore vsque ad pascha, Crucifixum te, & quæ ad S. passionem tuam spectant, cum fructu meditari, quatenus qui vulneratus es propter iniquitates nostras & attritus tuo liuore sanemur, & peccatis mortui, iustitię viuamus.

In Festo Annunciationis B. V. Mariæ. Oratio.

DEVS qui de B. Mariæ Virginis vtero verbum tuum angelo nunciãte carnem suscipere voluisti, præsta supplicibus tuis, vt qui verè eam genitricem Dei credimus, eius apud te intercessionibus adiuuemur.

In Festo Compassionis B. Virginis. Oratio.

DEVS qui redemptione nostræ mysteriũ vnigeniti tui passione, matrisque eius cõpassione tribuisti, fac nos quæsumus eis ita deuotas agere gratias, vt inter adoptiuos filios quos tibi in cruce pariter genuerunt numerari mereamur.

Dominica Palmarum. Oratio.

OMNIPOTENS sempiterne Deus, qui huma-

humano generi ad imitãdum humilitatis exemplum, saluatorem nostrum carnem sumere & crucem subire fecisti, cõcede propitius, vt & patientiæ ipsius habere documenta, & resurrectionis mereamur consortia.

Feria 5. Cœna Domini. Oratio.

DOMINE Iesu Christe fili Dei viui, qui ex voluntate patris cooperãte spiritu sancto per mortem tuam mundum viuificasti; Libera nos per tremendum corporis & sanguinis tui sacramentum ab omnibus iniquitatibus nostris, & vniuersis malis, & fac nos tuis inhærere mandatis, & à te nunquam separari permittas.

Feria 6. Parasceues. Oratio.

DOMINE Iesu Christe fili Dei viui, qui pro salute mundi Crucis patibulum ascendisti, & sanguinem tuum pretiosum pro redẽptione animarum nostrarum copiosè fudisti, te supplices deprecamur, vt post obitum nostrum paradisi ianuas nos gaudenter introire concedas.

In Sabbatho Sancto. Oratio.

DEVS cuius antiqua miracula in præsenti quoque seculo corruscare sentimus, præsta quæsumus, vt sicut priorem populum ab AEgyptijs liberasti, ita hoc ad salutem gentium per aquas baptismatis opereris.

In solennitate Resurrectionis. Oratio.

DEVS qui hodierna die per vnigenitum tuum æternitatis nobis aditum, deuicta morte reserasti, concede propitius, vt mœrentes

in Christo Iesu crucifixo & resuscitato respirent,& nouum tam augusti festi fructum & effectum in se sentiant.

Feria 2. Pascha. Oratio.

DEVS qui solênitate paschali mũdo remedia contulisti,populũ tuũ quæsumus cœlesti dono prosequere, & perfectã libertatẽ cõsequi mereatur,& ad vitam proficiat sempiternã.

Feria 3. Pascha. Oratio.

DEVS qui Ecclesiam tuam nouo semper fœtu multiplicas,concede famulis tuis vt sacramentum viuendo teneant, quod fide perceperunt.

Dominica Quasimodo geniti. Oratio.

PRAESTA quęsumus omnipotens Deus, vt qui festa paschalia peregimus, hæc te largiente moribus & vita teneamus.

In Festo Coloniensis Theophariæ.
Oratio.

DEVS qui nos ad imaginẽ tuam sacramẽtis renouas & præceptis, perfice gressus nostros in semitis tuis,& charitatis tuę donum, quod fecisti à nobis sperari,per tuam clemẽtiam efficaliter facias apprehendi.

Dominica Misericordiæ. Oratio.

DEVS qui in filij tui humilitate, iacẽtem mundũ erexisti,fidelibus tuis perpetuã cõcede lætitiã, vt quos à perpetuæ mortis eripuisti casibus gaudijs facias sempiternis perfrui.

Dominica Iubilate. Oratio.

DEVS qui errantibus, vt in viam possint redi-

redire iustitiæ, veritatis tuæ lumen ostendis, da cunctis qui Christiana professione cēsentur & illa respuere, quæ huic inimica sunt nomini, & ea quæ sunt apta sectari.

Dominica Cantate. Oratio.

DEVS qui fidelium mentes vnius efficis voluntatis, da populis tuis, id amare quod præcipis, id desiderare quod promittis, vt inter mundanas varietates, ibi nostra fixa sint corda, vbi vera sunt gaudia.

In festo S. Georgij. Oratio.

DEVS qui nos B. & gloriosi Martyris tui Georgij meritis & intercessione lætificas, cōcede propitius, vt qui eius beneficia poscimus, dono tuæ gratiæ consequamur.

In Festo S. Marci. Oratio.

OMNIPOTENS æterne Deus, immēsam clementiam tuam imploramus, D. Marci spiritum nobis donari, vt eius exemplo in vinea tua fructuosi palmites Ecclesiæ necessitatibus, quas sacra hodie Litania nobis proponit, congruentes inueniamur.

In Festo S. Vitalis. Oratio.

PRAESTA quæsumus omnipotēs Deus, vt intercedente B. Vitale Martyre tuo, & à cunctis aduersitatibus liberemur in corpore, & à prauis cogitationibus mūdemur in mēte.

Dominica Vocem iocunditatis. Oratio.

DEVS à quo bona cuncta procedunt largire supplicibus tuis, vt cogitemus te inspirante quæ recta sunt, & te gubernante eadem faciamus.

Feria 2. Rogationum. Oratio.

PRAESTA quæsumus omnipotens & misericors Deus, vt qui in afflictione nostra de tua pietate confidimus, contra aduersa omnia, tua semper protectione muniamur.

Feria 3. Rogationum. Oratio.

DEVS qui nos in tātis periculis cōstitutos pro humana scis fragilitate non posse subsistere, da nobis salutem mentis & corporis, vt ea quæ pro peccatis nostris patimur te adiuuante vincamus.

Feria 4. Rogationum. Oratio.

DOMINE Iesu Christe qui dixisti, petite & accipietis, quærite & inuenietis, pulsate & aperietur vobis, quæsumus da nobis petentibus sanctissimi nominis tui affectum, vt te toto corde ore & opere diligamus, & à tua laude nunquam cessemus.

In Festo Philippi & Iacobi. Oratio.

OMNIPOTENS sempiterne Deus vt florigeræ & fructiferæ arbores in horto Ecclesiæ existere valeamus, præsta supplicibus, vt ad vtriusque hominis incolumitatem clementiori cœlo, & tempore quod nunc incipit æstiuo, B. Philippi & Iacobi Apostolorum interuentu conuenienter vtamur.

In Festo Inuentionis S. Crucis. Oratio.

ORAMVS Domine Iesu Christe, vt S. Crucis virtus & gloria vbique gentium innotescat, & à cūctis populis magisque celebretur, ac calamitosis præsentem consolationem impertiat, quatenus suam ipsi crucem patienter & ala-

& alacriter ferentes, in via Crucis te ducem sequantur crucifixum.

In Solennitate Ascensionis Domini.

Oratio.

CONCEDE quęsumus Omnipotẽs Deus, vt qui hodierna die vnigenitum tuum redẽptorem nostrum ad cœlos ascendisse credimus, ipsi quoque mente in cœlestibus habitemus.

Dominica Exaudi. Oratio.

OMNIPOTENS sempiterne Deus, fac nos tibi semper & deuotam gerere voluntatem, & maiestati tuæ sincero corde seruire.

In Vigilia Pentecostis. Oratio.

PRAESTA omnipotens Deus, vt claritatis tuæ super nos splendor effulgeat, & lux tuæ lucis corda eorum, qui per gratiam tuam sunt renati, S. Spiritus illustratione cõfirmet.

In Solennitate Pentecostis. Oratio.

DEVS qui hodierna die corda fidelium S. Spiritus illustratione docuisti, da nobis in eodem spiritu recta sapere, & de eius semper consolatione gaudere.

Feria 2. Pentecostis. Oratio.

DEVS qui Apostolis tuis sanctum dedisti spiritum, concede plebi tuæ, piæ petitionis effectum, vt quibus dedisti fidem, largiaris & pacem.

Feria 3. Pentecostis. Oratio.

ADSIT nobis quæsumus Domine Virtus spiritus sancti, quæ & corda nostra clemẽter

expurget à vitijs, & ab omnibus tueatur aduersis.

Dominica Trinitatis. Oratio.

OMNIPOTENS sempiterne Deus, qui dedisti famulis tuis in confessione veræ fidei æternæ Trinitatis gloriam agnoscere, & in potentia maiestatis adorare vnitatem, quęsumus vt eiusdem fidei firmitate, ab omnibus semper muniamur aduersis.

In Festo Corporis Christi. Oratio.

DEVS qui nobis sub Sacramēto mirabili passionis tuæ memoriā reliquisti, tribue quęsumus, ita nos corporis & sanguinis tui sacra mysteria venerari, vt redemptionis tuæ fructum in nobis iugiter sentiamus.

Dominica 1 post Trinitatem. Oratio.

DEVS in te sperantium fortitudo, adesto propitius inuocationibus nobis, & quia sine te nihil potest mortalis infirmitas, præsta auxilium gratiæ tuæ, vt in exequēdis mandatis tuis & voluntate tibi & actione placeamus.

Dominica 2 post Trinitatem. Oratio.

SANCTI nominis tui Domine timorem pariter & amorē, fac nos habere perpetuum, quia nunquā tua gubernatione destituis quos in soliditate tuæ dilectionis instituis.

In Festo S. Maurini. Oratio.

FIDELIVM Deus, fortitudo Martyrum, cuius gratia B. Maurinus in Confessione nominis tui occubuit, concede propitius, ipsius orationum suffragijs apud te adiuuari.

Domi-

Dominica 3. post Trinitatem. Oratio.

PROTECTOR in te sperantium Deus, sine quo nihil est validum, nihil sanctũ, multiplica super nos misericordiam tuam, vt te rectore, te duce sic transeamus per bona temporalia, vt non amittamus æterna.

Dominica 4. post Trinitatem. Oratio.

DEPRECATIONEM nostram quęsumus Domine benignè exaudi, & quibus supplicãdi præstas affectũ, tribue defensionis auxiliũ.

In Festo S. Achatij. Oratio.

DEVS qui ad imitandum passionis tuę exemplum 10000. Martyrum crucis patibulum subire fecisti, concede propitius vt qui eorũ passionem veneramur in terris, passionis tuæ remedia consequamur in cœlis.

In Festo S. Albini. Oratio.

BEATI Albini Martyris tui quæsumus Domine supplicatione placatus, & veniã nobis tribue, & remedia sempiterna concede.

In Festo S. Ioannis Baptistæ. Oratio.

DEVS qui præsentem diem honorabilem nobis in B. Ioãnis Natiuitate fecisti, da vt familia tua per viam salutis incedat: & Beati præcursoris hortamenta sectando, ad eum quem venturum prędixit vox clamãtis in deserto, secura perueniat Dominum nostrum Iesum Christum.

Dominica 5. post Trinitatis. Oratio.

DA nobis quæsumus Domine, vt & mundi cursus pacificè nobis tuo ordine dirigatur, & Ecclesia tua tranquilla deuotione lætetur.

In Festo

In Festo SS. Apostolorum Petri & Pauli. Oratio.

DEVS qui hodiernum diem Apostolorũ tuorum Petri & Pauli martyrio consecrasti, da Ecclesiæ tuæ eorũ in omnibus sequi præceptum per quos religionis sumpsit exordiũ.

Dominica 6. post Trinitatis. Oratio.

DEVS qui diligentibus te bona inuisibilia præparasti, infunde cordibus nostris tui amoris affectum, vt te in omnibus & super omnia diligentes, promissiones tuas, quæ omne desiderium superant consequamur.

In Festo Visitationis B. Mariæ V. Oratio.

OMNIPOTENS sempiterne Deus, qui ex abundantia Charitatis B. Mariam filio tuo inpregnatam ad salutandam Elisabeth inspirasti, præsta quæsumus, vt per eius visitationem donis cœlestibus repleamur, & ab omnibus aduersitatibus eruamur.

Dominica 7 post Trinitatis. Oratio.

DEVS virtutum, cuius est totum quod est optimum, insere pectoribus nostris amorem tui nominis, & præsta in nobis religionis augmentum, vt quę sunt bona nutrias, ac pietatis studio quæ sunt nutrita custodias.

In Festo S. Agilolphi. Oratio.

PRAESTA quęsumus omnipotens Deus, vt Beati Agilolphi Martyris tui atq; pontificis fidem congrua deuotione sectemur, qui per eiusdem fidei dilatatione, martyrij palmam meruit obtinere.

In Fe-

In Festo SS. Fœlicis & Naboris.

Oratio.

DEVS qui nos Sanctorum tuorum Fœlicis & Naboris confessionibus gloriosis circundas & protegis, da nobis & eorum imitatione proficere, & intercessione gaudere.

In festo Diuisionis Apostolorum. Oratio.

ECCLESIAM tuam quæsumus Domine benignus illustra, vt Sanctorum Apostolorũ tuorum illuminata doctrinis, ad dona perueniat sempiterna.

Dominica 8. post Trinitatis. Oratio.

DEVS cuius prouidẽtia in sui dispositione non fallitur, te supplices exoramus, vt noxia cuncta submoueas, & omnia nobis profutura concedas.

In Festo B. Mariæ Magdalenæ. Oratio.

LARGIRE nobis quæsumus Domine clemẽtissime pater, quod sicuti B. Maria Magdalena Dominum nostrum Iesum Christum super omnia diligendo suorum obtinuit veniam peccaminum; ita nobis apud tuam misericordiã, sempiternã impetret beatitudinẽ.

Dominica 9. post Trinitatis. Oratio.

LARGIRE nobis quæsumus Domine semper spiritum cogitandi, quæ recta sunt propitius & agendi, vt qui sine te esse non possumus, secundum te viuere valeamus.

In festo translationis trium Regum.

Oratio.

DEVS qui vnigenitum tuum gẽtibus stella duce

In Festo S. Hipolyti. **Oratio.**

MARTYRIS tui Hipolyti quæsumus Domine natalitia nobis resplendeat,& quod illi contulit excellentia sempiterna fructibus nostræ deuotionis accrescat.

In Festo Assumptionis B.V. Mariæ. **Oratio.**

VENERANDA Domine huius diei festiuitas opem nobis conferat sempiternam, in qua S.Dei genitrix mortem subijt temporalem,per quam assumpta est ad vitam sempiternam.

De Festo S.Helenæ. **Oratio.**

PRAESTA quæsumus omnipotẽs Deus, vt Beatæ Helenæ crucis Dominicæ Inuentricis solennia recensentes,meritis ipsius protegamur & precibus.

In Festo S.Bernhardi. **Oratio.**

PERFICE quæsumus Domine tuum in nobis religionis effectum,vt ad obtinendam tuæ gratiæ largitatẽ Beatus Bernhardus Abbas & Doctor egregius suis apud te meritis intercedat.

Dominica 13 post Trinitatis. **Oratio.**

OMNIPOTENS & misericors Deus, de cuius munere venit, vt tibi à fidelibus tuis dignè & laudabiliter seruiatur,tribue nobis quęsumus vt ad promissiones tuas sine offensione curramus.

In Festo S.Bartholomæi. **Oratio.**

OMNIPOTENS sempiterne Deus, qui huius

huius diei venerādam sanctamque lætitiam, in Beati Apostoli tui Bartholomæi festiuitate tribuisti, da Ecclesiæ tuæ & amare quod credidit, & prædicare quod docuit.

Dominica 14 post Trinitatis. Oratio.

OMNIPOTENS sempiterne Deus, da nobis fidei & charitatis augmentum, & vt mereamur assequi quod promittis, fac nos amare quod præcipis.

In Festo S. Augustini. Oratio.

ADESTO Domine supplicationibus nostris omnipotens Deus, & quibus fiduciam sperandæ pietatis indulges intercedente B. Augustino Confessore tuo atque Pontifice, consuetæ Misericordiæ tribue benignus effectum.

In Festo Decollationis S. Ioannis B. Oratio.

SANCTI Ioannis Baptistæ & Martyris tui Domine quæsumus Veneranda festiuitas salutaris auxilij præstet augmentum.

In festo s. Sigillindis Virginis & Martyris. Oratio.

ADESTO Domine supplicationibus nostris: vt qui ex iniquitate nostra reos nos esse cognoscimus, sanctæ Sigillindis Virginis & Martyris tuæ intercessione liberemur.

In festo S. Paulini Martyris. Oratio.

MAIESTATEM tuam Domine suppliciter deprecamur, vt sicut nos iugiter S. Paulini

Feria 2. Rogationum. Oratio.

PRAESTA quæsumus omnipotens & misericors Deus, vt qui in afflictione nostra de tua pietate confidimus, contra aduersa omnia, tua semper protectione muniamur.

Feria 3. Rogationum. Oratio.

DEVS qui nos in tãtis periculis cõstitutos pro humana scis fragilitate non posse subsistere, da nobis salutem mentis & corporis, vt ea quæ pro peccatis nostris patimur te adiuuante vincamus.

Feria 4. Rogationum. Oratio.

DOMINE Iesu Christe qui dixisti, petite & accipietis, quęrite & inuenietis, pulsate & aperietur vobis, quæsumus da nobis petentibus sanctissimi nominis tui affectum, vt te toto corde ore & opere diligamus, & à tui laude nunquam cessemus.

In Festo Philippi & Iacobi. Oratio.

OMNIPOTENS sempiterne Deus vt florigeræ & fructiferæ arbores in horto Ecclesiæ existere valeamus, præsta supplicibus, vt ad vtriusque hominis incolumitatem clemẽtiori cœlo, & tempore quod nunc incipit æstiuo, B. Philippi & Iacobi Apostolorum interuentu conuenienter vtamur.

In Festo Inuentionis S. Crucis Oratio.

ORAMVS Domine Iesu Christe, vt S. Crucis virtus & gloria vbique gentium innotescat, & à cũctis populis magisque celebretur, ac calamitosis præsentem consolationem impertiat, quatenus suam ipsi crucem patienter & ala-

& alacriter ferentes, in via Crucis te ducem sequantur crucifixum.

In Solennitate Ascensionis Domini.

Oratio.

CONCEDE quęsumus Omnipotés Deus, vt qui hodierna die vnigenitum tuum redéptorem nostrum ad cœlos ascendisse credimus, ipsi quoque mente in cœlestibus habitemus.

Dominica Exaudi. Oratio.

OMNIPOTENS sempiterne Deus, fac nos tibi semper & deuotam gerere voluntatem, & maiestati tuæ sincero corde seruire.

In Vigilia Pentecostis. Oratio.

PRAESTA omnipotens Deus, vt claritatis tuæ super nos splendor effulgeat, & lux tuæ lucis corda eorum, qui per gratiam tuam sunt renati, S. Spiritus illustratione cõfirmet.

In Solennitate Pentecostis. Oratio.

DEVS qui hodierna die corda fidelium S. Spiritus illustratione docuisti, da nobis in eodem spiritu recta sapere, & de eius semper consolatione gaudere.

Feria 2. Pentecostis. Oratio.

DEVS qui Apostolis tuis sanctum dedisti spiritum, concede plebi tuæ, piæ petitionis effectum, vt quibus dedisti fidem, largiaris & pacem.

Feria 3. Pentecostis. Oratio.

ADSIT nobis quæsumus Domine Virtus spiritus sancti, quæ & corda nostra clemẽter

expurget à vitijs, & ab omnibus tueatur aduersis.

Dominica Trinitatis. Oratio.

OMNIPOTENS sempiterne Deus, qui dedisti famulis tuis in confessione veræ fidei æternæ Trinitatis gloriam agnoscere, & in potentia maiestatis adorare vnitatem, quęsumus vt eiusdem fidei firmitate, ab omnibus semper muniamur aduersis.

In Festo Corporis Christi. Oratio.

DEVS qui nobis sub Sacramēto mirabili passionis tuæ memoriā reliquisti, tribue quęsumus, ita nos corporis & sanguinis tui sacra mysteria venerari, vt redemptionis tuæ fructum in nobis iugiter sentiamus.

Dominica 1. post Trinitatem. Oratio.

DEVS in te sperantium fortitudo, adesto propitius inuocationibus nobis, & quia sine te nihil potest mortalis infirmitas, præsta auxilium gratiæ tuæ, vt in exequēdis mandatis tuis & voluntate tibi & actione placeamus.

Dominica 2 post Trinitatem. Oratio.

SANCTI nominis tui Domine timorem pariter & amorē, fac nos habere perpetuum, quia nunquā tua gubernatione destituis quos in soliditate tuæ dilectionis instituis.

In Festo S. Maurini. Oratio.

FIDELIVM Deus, fortitudo Martyrum, cuius gratia B. Maurinus in Confessione nominis tui occubuit, concede propitius, ipsius orationum suffragijs apud te adiuuari.

Domi-

Dominica 3. post Trinitatem. Oratio.

PROTECTOR in te sperantium Deus, sine quo nihil est validum, nihil sanctũ, multiplica super nos misericordiam tuam, vt te rectore, te duce sic transeamus per bona temporalia, vt non amittamus æterna.

Dominica 4. post Trinitatem. Oratio.

DEPRECATIONEM nostram quęsumus Domine benignè exaudi, & quibus supplicãdi præstas affectũ, tribue defensionis auxiliũ.

In Festo S. Achatij. Oratio.

DEVS qui ad imitandum passionis tuę exemplum 10000. Martyrum crucis patibulum subire fecisti, concede propitius vt qui eorũ passionem veneramur in terris, passionis tuæ remedia consequamur in cœlis.

In Festo S. Albini. Oratio.

BEATI Albini Martyris tui quæsumus Domine supplicatione placatus, & veniã nobis tribue, & remedia sempiterna concede.

In Festo S. Ioannis Baptistæ. Oratio.

DEVS qui præsentem diem honorabilem nobis in B. Ioãnis Natiuitate fecisti, da vt familia tua per viam salutis incedat: & Beati præcursoris hortamenta sectando, ad eum quem venturum prędixit vox clamãtis in deserto, secura perueniat Dominum nostrum Iesum Christum.

Dominica 5. post Trinitatis. Oratio.

DA nobis quæsumus Domine, vt & mundi cursus pacificè nobis tuo ordine dirigatur, & Ecclesia tua tranquilla deuotione lætetur.

In Festo

In Festo SS. Apostolorum Petri & Pauli. Oratio.

DEVS qui hodiernum diem Apostolorũ tuorum Petri & Pauli martyrio consecrasti, da Ecclesiæ tuæ eorũ in omnibus sequi præceptum per quos religionis sumpsit exordiũ.

Dominica 6. post Trinitatis. Oratio.

DEVS qui diligentibus te bona inuisibilia præparasti, infunde cordibus nostris tui amoris affectum, vt te in omnibus & super omnia diligentes, promissiones tuas, quæ omne desiderium superant consequamur.

In Festo Visitationis B. Mariæ V. Oratio.

OMNIPOTENS sempiterne Deus, qui ex abundantia Charitatis B. Mariam filio tuo inpregnatam ad salutandam Elisabeth inspirasti, præsta quæsumus, vt per eius visitationem donis cœlestibus repleamur, & ab omnibus aduersitatibus eruamur.

Dominica 7 post Trinitatis. Oratio.

DEVS virtutum, cuius est totum quod est optimum, insere pectoribus nostris amorem tui nominis, & præsta in nobis religionis augmentum, vt quę sunt bona nutrias, ac pietatis studio quæ sunt nutrita custodias.

In Festo S. Agilolphi. Oratio.

PRAESTA quęsumus omnipotens Deus, vt Beati Agilolphi Martyris tui atq; pontificis fidem congrua deuotione sectemur, qui per eiusdem fidei dilatatione, martyrij palmam meruit obtinere. *In Fe*

In Festo SS. Fœlicis & Naboris.

Oratio.

DEVS qui nos Sanctorum tuorum Fœlicis & Naboris confessionibus gloriosis circundas & protegis, da nobis & eorum imitatione proficere, & intercessione gaudere.

In festo Diuisionis Apostolorum. Oratio.

ECCLESIAM tuam quæsumus Domine benignus illustra, vt Sanctorum Apostolorũ tuorum illuminata doctrinis, ad dona perueniat sempiterna.

Dominica 8. post Trinitatis. Oratio.

DEVS cuius prouidẽtia in sui dispositione non fallitur, te supplices exoramus, vt noxia cuncta submoueas, & omnia nobis profutura concedas.

In Festo B. Mariæ Magdalenæ. Oratio.

LARGIRE nobis quæsumus Domine clemẽtissime pater, quod sicuti B. Maria Magdalena Dominum nostrum Iesum Christum super omnia diligendo suorum obtinuit veniam peccaminum; ita nobis apud tuam misericordiã, sempiternã impetret beatitudinẽ.

Dominica 9. post Trinitatis. Oratio.

LARGIRE nobis quæsumus Domine semper spiritum cogitandi, quæ recta sunt propitius & agendi, vt qui sine te esse non possumus, secundum te viuere valeamus.

In festo translationis trium Regum.

Oratio.

DEVS qui vnigenitum tuum gẽtibus stella duce

duce reuelasti, concede propitius, vt qui iam te ex fide cognouimus, vsque ad contemplandam speciem tuæ celsitudinis perducamur.

In Festo S. Iacobi. Oratio.

ESTO Domine plebi tuæ sanctificator & custos, vt Apostoli tui Iacobi munita præsidijs & conuersatione tibi placeat, & secura tibi mente deseruiat.

In Festo S. Annæ. Oratio.

DEVS qui B. Annæ, vt mater S. Dei genitricis effici mereretur, tribuisti concede propitius, vt vtriusque precibus regna cœlestia consequamur.

In Festo S. Panthaleonis. Oratio.

DEVS qui nos annua B. Panthaleonis martyris tui gloriosa passionis sublimitate lætificas, solita pietatis largitate concede benignus, vt cuius honori famosum victoriæ triũphum pro amore veneramur in terris, societatis eius lætitiam, adipisci te largiente mereamur in cœlis.

Dominica 10. post Trinitatis. Oratio.

PATEANT aures misericordiæ tuæ Domine precibus supplicantium, & vt petentibus desiderata concedas, fac eos quę tibi sunt placita postulare.

In Festo S. Petri ad vincula. Oratio.

DEVS qui B. Petrum Apostolum à vinculis absolutum illæsum abire fecisti, nostrorũ quæsumus absolue vincula delictorum, & omnia mala à nobis propitiatus exclude.

In Fe-

In Festo S. Dominici. Oratio.

DA quęsumus Domine vt qui B. Dominici confessoris tui Ecclesiam tuam illuminare dignatus es meritis & doctrinis, concede vt eius intercessione, temporalibus non destituatur auxilijs, & spiritualibus semper proficiat incrementis.

Dominica 11. post Trinitatis. Oratio.

DEVS qui omnipotentiam tuam parcẽdo maximè & miserãdo manifestas, multiplica super nos misericordiam tuam, vt ad tua promissa currentes, cœlestium bonorum facias esse consortes.

Dominica 12. post Trinitatis. Oratio.

OMNIPOTENS sempiterne Deus, qui abundantia pietatis suæ, & merita supplicũ excedis & vota, effunde super nos misericordiã tuã, vt dimittas quę cõscientia metuit, & adijcias, quod oratio non præsumit.

In festo Transfigurationis Domini.

DEVS qui fidei sacramẽta in vnigeniti tui gloriosa trãsfiguratione Patrum testimonio roborasti, & adoptionem filiorum perfectã voce delapsa in nube lucida mirabiliter præsignasti, concede propitius, vt ipsius Regis gloriæ, nos cohæredes efficias, & eiusdem gloriæ tribuas esse consortes.

In Festo S. Laurentij. Oratio.

DA nobis quæsumus omnipotẽs Deus, vitiorũ nostrorũ flãmas extinguere, qui B. Laurentio tribuisti tormentorum suorũ incẽdia superare.

In Fe-

In Festo S. Hipolyti. Oratio.

MARTYRIS tui Hipolyti quæsumus Domine natalitia nobis resplendeat, & quod illi contulit excellentia sempiterna fructibus nostræ deuotionis accrescat.

In Festo Assumptionis B. V. Mariæ. Oratio.

VENERANDA Domine huius diei festiuitas opem nobis conferat sempiternam, in qua S. Dei genitrix mortem subijt temporalem, per quam assumpta est ad vitam sempiternam.

De Festo S. Helenæ. Oratio.

PRAESTA quæsumus omnipotēs Deus, vt Beatæ Helenæ crucis Dominicæ Inuentricis solennia recensentes, meritis ipsius protegamur & precibus.

In Festo S. Bernhardi. Oratio.

PERFICE quæsumus Domine tuum in nobis religionis effectum, vt ad obtinendam tuæ gratiæ largitatē Beatus Bernhardus Abbas & Doctor egregius suis apud te meritis intercedat.

Dominica 13. post Trinitatis. Oratio.

OMNIPOTENS & misericors Deus, de cuius munere venit, vt tibi à fidelibus tuis dignè & laudabiliter seruiatur, tribue nobis quęsumus vt ad promissiones tuas sine offensione curramus.

In Festo S. Bartholomæi. Oratio.

OMNIPOTENS sempiterne Deus, qui huius

huius diei venerãdam sanctamque lætitiam, in Beati Apostoli tui Bartholomæi festiuitate tribuisti, da Ecclesiæ tuæ & amare quod credidit, & prædicare quod docuit.

Dominica 14. post Trinitatis. Oratio.

OMNIPOTENS sempiterne Deus, da nobis fidei & charitatis augmentum, & vt mereamur assequi quod promittis, fac nos amare quod præcipis.

In Festo S. Augustini. Oratio.

ADESTO Domine supplicationibus nostris omnipotens Deus, & quibus fiduciam sperandæ pietatis indulges intercedente B. Augustino Confessore tuo atque Pontifice, consuetæ Misericordiæ tribue benignus effectum.

In Festo Decollationis S. Ioannis B. Oratio.

SANCTI Ioannis Baptistæ & Martyris tui Domine quæsumus Veneranda festiuitas salutaris auxilij præstet augmentum.

In festo S. Sigillindis Virginis & Martyris. Oratio.

ADESTO Domine supplicationibus nostris: vt qui ex iniquitate nostra reos nos esse cognoscimus, sanctæ Sigillindis Virginis & Martyris tuæ intercessione liberemur.

In festo S. Paulini Martyris. Oratio.

MAIESTATEM tuam Domine suppliciter deprecamur, vt sicut nos iugiter S. Paulini

commemoratione lætificas, ita semper eius supplicatione defendas.

Dominica 15. post Trinitatis. Oratio.

CVSTODI Domine quæsumus Ecclesiam tuam propitiatione perpetua, & quia sine te labitur humana mortalitas, tuis semper auxilijs, & abstrahatur à noxijs & ad salutaria dirigatur.

Dominica 16 post Trinitatis. Oratio.

ECCLESIAM tuam Domine miseratio continuata mundet & muniat, & quia sine te non potest salua consistere, tuo semper munere gubernetur.

In Festo Natiuitatis B. V. Mariæ.

FAMVLIS tuis quæsumus Domine cœlestis gratiæ munus impartire, vt quibus B. Mariæ Virginis partus extitit salutis exordium, Natiuitatis eius votiua solennitas, pacis tribuat incrementum.

In Festo S. Materni. Oratio.

DEVS qui glorioso Pontifice tuo Materno per florem doctrinæ oues Agrippinenses pauisti, concede vt cuius hodie natalia veneramur in terris, eodem succurrente ad dexteram tibi assistere mereamur in cœlis.

In Festo Exaltationis S. Crucis. Oratio.

DOMINE Iesu Christe, fili Dei viui, qui pro salute mundi crucis patibulum ascendisti, & sanguinem tuum pretiosum pro redemptione animarum nostrarum copiosè fudisti, te supplices deprecamur, vt post obitum nostrum

ſtrum paradiſi ianuas nos gaudentes introire concedas.

In Feſto ſanctorum Cornelij & Cypriani. Oratio.

INFIRMITATEM noſtram quæſumus Domine propitius reſpice & mala omnia quæ pro peccatis noſtris iuſtè meremur, Sanctorum tuorum Cornelij & Cypriani interceſſione auerte.

Dominica 17. poſt Trinitatis. Oratio.

TVA nos Domine quæſumus gratia ſemper præueniet & ſequatur, ac bonis operibus iugiter præſtet eſſe intentos.

Dominica 18. poſt Trinitatis. Oratio.

DA quęſumus Domine populo tuo diabolica vitare contagia, & ſolum Deum pura mente ſectari.

In Feſto ſancti Matthæi. Apoſtoli.

BEATI Matthæi Apoſtoli & Euangeliſtæ Domine precibus adiuuemur, vt quod poſſibilitas noſtra non obtinet, eius nobis interceſſione donetur.

In Feſto S. Mauritij. Oratio.

DEVS qui es omniũ Sanctorum ſplendor mirabilis, & diẽ huc S. Mauritij & ſociorum martyrio conſecraſti, da Eccleſiæ tuæ eorũ lętari natalitio: atq; apud miſericordiam tuam exemplis eorum & meritis adiuuemur.

In feſto Dedicationis Eccleſiæ Coloníenſis. Oratio.

DEVS qui nobis per ſingulos annos huius

Sancti Templi tui cõsecrationis reparas diẽ, & sacris semper mysterijs, repræsentas incolumes, exaudi preces populi tui, & præsta vt quisquis hoc Templum beneficia petiturus ingreditur, cuncta se impetrasse lætetur.

In Festo S. Michaelis. Oratio.

DEVS qui miro ordine Angelorum ministerium hominumque dispensas, concede propitius, vt à quibus tibi ministrantibus in cœlo semper assistitur, ab his in terra vita nostra muniatur.

In Festo S. Hieronymi. Oratio.

DEVS qui nos per B. Hieronymum cõfessorem Sacræ Scripturæ veritatem reuelare dignatus es, præsta quæsumus vt cuius natalitia colimus, eius semper & erudiamur doctrinis, & meritis adiuuemur.

Dominica 19 post Trinitatis. Oratio.

DIRIGAT corda nostra Domine quæsumus tuę miserationis operatio, quia tibi sine te placere non possumus.

In Festo sanctorum Evvaldorum.

EXAVDI Domine populum tuum cum Sanctorum Evvaldorum patrocinio supplicantem, vt & temporalis vitę tribuas nos pace gaudere, & æternum reperire subsidium.

In Festo S. Francisci. Oratio.

DEVS qui Ecclesiam tuam B. Frãcisci meritis fœtu nouæ prolis amplificas, tribue nobis ex eius imitatione terrena despicere, & cœlestium donorum, semper participatione gaudere.

In Fe-

In Festo S. Brunonis. Oratio.

OMNIPOTENS sempiterne Deus, qui renunciantibus seculo mansiones paras in cœlo, immensam clementiam tuam humiliter imploramus: vt intercedente B. Brunone Confessore tuo vota, quæ profitẽdo fecimus, fideliter implere, & ad ea quæ perseuerantibus in te dignatus es promittere, valeamus salubriter peruenire.

Dominica 20. post Trinitatis. Oratio.

OMNIPOTENS & misericors Deus vniuersa nobis aduersantia propitius exclude, vt mente & corpore pariter expediti, quæ tua sunt liberis mentibus exequamur.

In Festo S. Gereonis. Oratio.

PRAESTA Domine quæsumus, vt sicut Martyrum tuorum Gereonis & sociorum natalitia celebranda nos non intermittimus, ita & ipsi iugiter suffragijs comitentur.

Dominica 21. post Trinitatis. Oratio.

LARGIRE quæsumus Domine fidelibus tuis indulgentiam placatus, & pacem, vt pariter ab omnibus mundentur offensis, & secura tibi mente deseruiant.

In Festo sanctorum Maurorum.

Oratio.

DEVS qui Beatum Gregorium cum socijs Mauris virtute constantiæ in passione roborasti, tribue quæsumus ex eorum imitatione pro amore tuo nos prospera mundi despicere, & nulla aduersa formidare.

In Festo S. Eliphij. *Oratio.*

DA quæsumus omnipotẽs Deus cordibus nostris dignam tibi gratiarum actionem persoluere, & in S. tui Eliphij gloriosa semper victoria laudare.

In Festo S. Luciæ. *Oratio.*

INTERVENIAT pro nobis Domine quæsumus B. Lucas Euangelista, qui Crucis mortificationem iugiter in suo corpore pro tui nominis honore portauit.

In Festo S. Vrsulæ. *Oratio.*

DEVS qui, vt humanum genus ad Confessionem tui nominis prouocatos, etiã in sexu fragili victoriam Martyrij contulisti, præsta quæsumus vt Ecclesia tua 11000. Virginum, quarum hodierna die passione lætamur, exemplo cõmonita, nec pati pro te metuat, nec blandimẽtis mundi succumbat, sed cœlestis præmij gloriam concupiscat.

Dominica 22. post Trinitatis. *Oratio.*

FAMILIAM tuam quæsumus Domine continua pietate custodi, vt à cunctis aduersitatibus te protegente sit libera, & in bonis actibus tuo nomini sit deuota.

In Festo S. Cordulæ. *Oratio.*

DEVS qui præsentem diem B. Cordulæ Virginis & Martyris tuæ facis esse solennem, præsta Ecclesiæ tuæ, vt cuius festiuitate gloriatur, eius meritis adiuuetur.

In Festo S. Seuerini. *Oratio.*

DEVS qui sanctam nobis huius diei solẽnitatem

nitatem ad B.Seuerini Confessoris tui atque Pontificis honorem cõsecrasti, adesto familiæ tuæ precibus, & dona, vt cuius festa celebramus, intercessionis eius auxilio adiuuemur.

In Festo S.Euergisli. Oratio.

DEVS qui nos annua Beati Euergisli Martyris tui atque Pontificis festiuitate lætificas, da nobis eius interueniẽtibus meritis,& perpetua protectione muniri,& salutari gaudere profectu.

In festo Simonis & Iudæ. Oratio.

DEVS qui nos per Apostolos tuos Simonem & Iudam ad cognitionem tui nominis venire tribuisti,da nobis eorum gloriã sempiternam,& proficiendo celebrare & celebrando proficere.

Dominica 23. post Trinitatis. Oratio.

DEVS refugium nostrum &virtus,adesto propitius Ecclesiæ tuæ precibus author ipse pietatis,& præsta vt quod fideliter petimus, efficaciter consequamur.

In Festo omnium Sanctorum. Oratio.

OMNIPOTENS sempiterne Deus, qui nos omnium sanctorum tuorum merita sub vna tribuisti celebritate venerari, quęsumus, vt desideratam nobis tuę propitiationis abũdantiam multiplicatis intercessionibus largiaris.

In die fidelium Animarum. Oratio.

FIDELIVM Deus omnium conditor &

redemptor animabus famulorum famularũque tuarum remissionem cunctorum tribue peccatorum, vt indulgentiam, quam semper optauerũt pijs supplicationibus consequantur.

Dominica 24. post Trinitatis. Oratio.

EXCITA Domine quæsumus tuorum fidelium voluntates, vt diuini operis fructum propensius exequentes, pietatis tuæ remedia maiora percipiant.

In Festo S. Martini. Oratio.

DEVS qui conspicis, quia ex nulla nostra actione subsistimus, concede propitius, vt intercessione B. Martini Confessoris tui atque Pontificis contra omnia aduersa muniamur.

Dominica 25. post Trinitatis. Oratio.

DEVS incommutabilis virtus & lumen æternum, respice propitius ad totius Ecclesiæ tuæ corpus, atque opus humanæ salutis perpetuæ dispositionis effectu tranquillius operare, vt totus mundus experiatur deiecta erigi, inueterata renouari, & per ipsum redire omnia in integrum, à quo sumpsere principium.

In Festo S. Cuniberti. Oratio.

MOVEAT pietatem tuam quæsumus Domine subiectæ tibi plebis affectus, vt quod meritis suis non præsumit, per intercessionem S. Cuniberti Confessoris tui atque Pontificis, indulgentiæ tuæ largitatem percipiat.

Domi-

Dominica 26. post Trinitatis. Oratio.

MISERICORDIAE tuę remedijs, quęsumus Domine fragilitas nostra subsistat, vt quæ sua conditione atteritur, tua clementia reparetur, & effectum beatæ perennitatis acquirat.

In Festo Præsentationis B. Mariæ Virginis. Oratio.

DEVS qui vnigeniti tui mox futuram Matrem & Virginem Mariam hodierna die trimulam in Templum præsentari voluisti, largire supplicibus, vt qui præsentationem eius veneramur in terris, tibi mereamur ipsa patrocinante, præsentari in cœlis.

In Festo S. Cæciliæ. Oratio.

DEVS qui nos annua Beatæ Cæciliæ Virginis & Martyris tuæ solennitate lętificas, da vt quam veneramur officio, etiam quæ conuersationis sequamur exemplo.

In Festo S. Clementis Papæ, & Martyris. Oratio.

DEVS qui nos annua B. Clementis Martyris tui atque Pontificis solennitate lętificas concede propitius, vt cuius natalitijs gloriamur, virtutem quoque passionis imitemur.

In Festo S. Catharinæ. Oratio.

OMNIPOTENS sempiterne Deus, qui corpus gloriosæ Virginis & Martyris tuæ Catharinæ, in monte Sinai ab angelis deferri & sepeliri iussisti, concede quæsumus eius obtentu nos ad arcem virtutum prouehi, vt

visionis tuæ claritatem intueri mereamur.

Dominica 27. post Trinitatis. Oratio.

OMNIPOTENS & misericors Deus, preces nostras in odorem suauitatis clementer suscipe, vt quos exaudire, & incolumes seruare dignatus es, ab omni in posterum aduersitate custodias, & in tuo seruitio vsque in finem perseuerare concedas.

In Festo S. Andreæ. Oratio.

MAIESTATEM tuam Domine suppliciter exoramus, vt sicut Ecclesię tuæ B. Andreas Apostolus extitit Prędicator & Rector, ita apud te sit pro nobis perpetuus intercessor.

Dominica 1. Aduentus. Oratio.

CONSCIENTIAS nostras quæsumus Domine visitando purifica, vt veniens filius tuus Dominus noster cum omnibus sanctis suis paratam sibi in nobis inueniat mansionem.

In Festo S. Barbaræ. Oratio.

OMNIPOTENS sempiterne Deus libera nos à sagitta Diaboli, qui B. Barbaræ triũphalem pro nobis supplicandi victoriam tribuisti.

In Festo S. Nicolai. Oratio.

DEVS qui beatum Nicolaum Pontificem tuum innumeris decorasti miraculis, tribue quæsumus nobis, vt eius meritis & precibus, à gehennæ incendijs liberemur.

In Festo Conceptionis B. M. V. Oratio.

OMNIPOTENS & misericors Deus, qui ad re-

ad reparandam abiectionis nostræ ruinam, verbum æternum, figuram substantiæ tuæ, in purissimis immaculatæ Virginis visceribus incarnari dignatus es, te supplices exoramus, ipsius precibus & meritis inueniamur apud te semper & castitate nitidi, & charitate feruentes.

In Festo S. Ioachimi. Oratio.

DEVS qui beatum Ioachimum beatissimæ Virginis Mariæ genitricis vnigeniti filij tui Domini nostri Iesu Christi patrem esse voluisti: tribue quæsumus, vt eius interuentione tuæ circa nos pietatis semper viscera sentiamus, Per eundem Dominum nostrum Iesum Christum, &c.

Dominica 2. Aduentus. Oratio.

EXCITA quæsumus Domine corda nostra, ad præparandas vnigeniti tui vias, vt per eius aduentum purificatis tibi mentibus, seruire mereamur.

In Festo S. Luciæ. Oratio.

EXAVDI nos Deus salutaris noster, vt sicut de B. Luciæ festiuitate gaudemus, ita piæ deuotionis erudiamur effectu.

Dominica 3. Aduentus. Oratio.

AVREM tuam quæsumus Domine precibus nostris accommoda, & mentis nostræ tenebras, gratia tuæ visitationis illustra.

In Festo S Thomæ. Oratio.

DA NOBIS quæsumus Domine

B. Tho-

B.Thomæ Apostoli tui solennitatibus gloriari, vt eius semper & patrocinijs subleuemur, & fidem congrua deuotione sectemur.

In Festo S.Gregorij Spoletani.
Oratio.

PRAESTA quæsumus omnipotēs Deus, vt B. Gregorij Spoletani Martyris tui fidem congrua deuotione sectemur, qui per eiusdē fidei dilatationem, martyrij palmam meruit obtinere.

Dominica 4. Aduentus. Oratio.

EXCITA Domine potētiam tuam & veni, & magna nobis virtute succurre, vt per auxilium gratiæ tuæ, quod nostra peccata præpediunt, indulgentia tuæ propitiationis acceleret.

In vigilia Natiuitatis Christi. Oratio.

DEVS qui nos redemptionis nostræ annua exspectatione lætificas, Præsta vt vnigenitum tuum, quem Redemptorem læti suscipimus, venientem quoque Iudicem, securi videamus.

In Solennitate Natiuitatis Christi.
Oratio.

OMNIPOTENS sempiterne Deus, qui hunc diem per incarnationem verbi tui & partum B.Mariæ Virginis consecrasti: da populis tuis, vt qui tua gratia sunt redempti, tua sint adoptione securi.

In Festo S.Stephani. Oratio.

DA nobis quęsumus Domine imitari quod coli-

colimus, vt discamus, & inimicos diligere, quia eius natalitia celebramus, qui nouit etiam pro persecutoribus exorare Dominum nostrum.

In Festo S. Ioannis Euangelistæ.
Oratio.

ECCLESIAM tuam quæsumus Domine benignus illustra, vt B. Ioannis Apostoli tui & Euangelistæ illuminata doctrinis, ad dona perueniat sempiterna.

In festo Innocentium puerorum.
Oratio.

DEVS cuius hodierno die præconium Innocentes Martyres non loquendo sed moriẽdo cõfessi sunt, omnia in nobis vitiorum mala mortifica, vt fidem tuam quam lingua nostra loquitur, etiam moribus vita fateatur.

Dominica intra octauam Natiuitatis Christi. Oratio.

OMNIPOTENS sempiterne Deus, dirige actus nostros in beneplacito tuo, vt in nomine dilecti filij tui, mereamur bonis operibus abundare.

In Festo S. Syluestri. Oratio.

DA quæsumus omnipotens Deus vt B. Syluestri Confessoris tui atque Pontificis veneranda solennitas & deuotionem nobis augeat & salutem.

In Festo S. Columbæ. Oratio.

DEVS qui B. Columbæ misso cœlitus imbre circum se venientes extinguere dignatus es flam-

es flammas, præsta quæsumus, vt eius obtentu ignem à serpentis iaculo infusum, nobis rore miserationis extinguas.

In communi sanctorum Apostolorum.

QVAESVMVS omnipotẽs Deus vt B. Apostolus N. tuum pro nobis imploret auxilium, vt à nostris reatibus absoluti, à cunctis etiam periculis exuamur.

In communi SS. Martyrum. Oratio.

DEVS qui nos cõcedis SS. Martyrum tuorum N. N. natalitia colere, da nobis in æterna beatitudine de eorum societate gaudere.

In communi vnius Martyris. Oratio.

PRAESTA quæsumus omnipotẽs Deus, vt qui B. Martyris tui natalitia colimus, intercessione eius in tui nominis amore roboremur.

In Festo vnius Confessoris, & Pontificis. Oratio.

DA quæsumus omnipotens Deus, vt Beati N. Confessoris tui atque Pontif. veneranda solennitas & deuotionem nobis augeat & salutem.

In Festo vnius Confessoris. Oratio.

DEVS qui nos B. N. Confessoris tui annua solennitate lætificas, concede propitius, vt cuius natalitia colimus, per eius ad te exempla gradiamur.

In Festo vnius Virginis & Martyris. Oratio.

DEVS qui inter cætera potentiæ tuæ miracula

racula etiam in sexu fragili victoriam martyrij contulisti, concede propitius; vt cuius natalitia colimus, per eius ad te exẽpla gradiamur.

In Festo vnius Virginis tantum.

Oratio.

DEVS qui nos annua beatæ N. solennitate lætificas: da vt quam veneramur officio, etiam piæ conuersionis sequamur exemplo.

In Festo vnius Viduæ. Oratio.

EXAVDI nos Deus salutaris noster, vt sicut de Beatæ N. festiuitate gaudemus: ita piæ deuotiouis erudiamur affectu.

Precatio pro libri Collectore.

Oratio.


OMNIPOTENS & misericors Deus, da famulo tuo N. mẽte & corpore tibi famulari, & omnia peccata eius remitte, ac indulgentiã concede, quatenus ad perpetuę Beatitudinis perueniat gloriam, da ei in bonis operibus tuæ gratiæ perseuerantiam. Amen.

(.·.)

FINIS.

AD LECTOREM.

Mendis, Lector, eo faciliùs veniam dabis spero, quo minus relectioni typi praeesse potuimus, pariter rogantes, ne nobis de suspensa ante Venale Sacrarium succenseas hedera, cum non tam inscijs, quam inuitis nobis, superiori anno, triumphus ille ante Victoriam sit decantatus; sed an errore aut data Typographi opera factum, dimittimus, certi nihilominus, de eius erga Sacrarij nostri datam sibi fidem continua mansollicitudine, quafieri potuit, vt hocce stratagemate in praeiudicium nostrum vsus, fortè intra debitum, noua delusum arte, per se currentem, adhibitis hisce calcaribus, contineret, religionis Catholicae amulator maximus. Faxit Omnipotens, vt mediante qualicunq, opella nostra, quam boni consulas velim, fructum plurimum è prelo apud omnes reportet. Vale donec è libero latio Germanicam versionem, atque post hanc alia in conceptu haerentia tibi exhibeamus.



FINIS.